

AB

155003

11. 00

alte Nr. 424.

Tenatorius, Th.

in 6 weisbuchstaben

K. VII. 84.

V N A N I

M I S O M N I V M P A

T R V M E X A P O S T O L I C A E C

clesia, ex media etate, & qui postremis uixerunt

seculis, Consensus, de uera Iustificatione ho-

minis coram Deo, quo nihil ex Patribus

potest dari absolutius, clariusue

in hac controuersia de

Iustificatione.

A V T O R E

Lic: Hermanno Hamelmanno.

C V M P R A E F A T I O N E

Iohannis Vuigandi.

V R S E L L I S,

Excudebat Nicolaus Henricus

A N N O 1 5 6 2.

VINCENTIVS LI-

renensis Gallus aduersus prophe-
tanas Nouationes.

In ipsa catholica Ecclesia magnopere curandum est,
ut id teneamus, quod ubiq; , quod semper , quod ab om-
nibus creditum est , hoc enim uere & proprie catho-
licum est , &c. Et mox sequantur uniuersitatem , ut
hanc fidem ueram esse fateamur , quam tota per orbem
confitetur Ecclesia.

ITEM.

Quicquid omnes , uel plures uno eodemq; sensu ma-
nifeste , frequenter , perseueranter , uelut quodam con-
sentiente sibi Magistrorum concilio , accipiendo , tra-
dendo firmauerunt , id pro indubitato , certo ratoq; ha-
beas &c.

I L L V S ³

TRISSIMO PRINCIPI
ac Domino, Domino Vuilhelmo,
Duci Iuliacensi, Cleuensi ac Ber-
genfi, Comiti Marchiæ & Ra-
uenspurg. Domino in Ra-
benstein etc. Domino
suo clementissimo.

Gratiam & pacem per Chri-
stum.

GRauiter a Spiritu sancto, Prin-
ceps illustrissime ac Domine
clementissime, dictum est Psalmo
secundo: Et nunc Reges intelligite,
erudimini, qui iudicatis terrã. Ser-
uite Domino in timore, & exultate
ei cum tremore. Osculamini Filiũ,
ne quando irascatur, & pereatis in
uia. Non enim tantum Christiano

A 2 rum

rum Magistratum est officium, ut pacem subditis conseruent, & qualemcunq; disciplinam tueantur, Sed omnium maxime, ut ueram, synceram ac salutarem doctrinam Dei, inter suos sonare ac propagare studeant, ut filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, recte cognosci & celebrari queat. Ille enim unicus humanæ societatis finis est, ut homines uerbum Dei, non adulteratum pharisaicis fermentis audiant, agant pœnitentiam, & ardenti inuocatione, & inchoata obedientia per Spiritum sanctum, creatorem suum celebrent. Hinc est, quod Esaias pios Magistratus appellat Ecclesiæ Dei nutricios.

Tria autem optimo ordine coniungit Spiritus sanctus in uerbis Psalmi: Primum est, quod Magistra-

stratus ipsi debeant sapere, non modo in rebus ciuilibus et mundanis, sed praecipue in prima Decalogi tabula, hoc est, ut doctrinam a Deo patefactam ex fontibus Israel hauriant accognoscant, ne tantum cogantur a quorundam hominum dictatis pendere, et eam ob causam in ueteri Testamento Magistratibus liber Legis in manum praebebatur, ut ex eo sapientiã utriusq; Decalogi tabulae discerent.

Secundum est, ut seruiant Domino, hoc est, ut ueram religionem, a Deo traditam, serio atq; ardenter amplectantur & tueantur, & existiment, sibi propter hanc causam potissimum sceptrũ esse a Deo donatum, ut doctrinam coelestem plantari & propagari curent. O infelices Magistratus, ne quid aliud di-

cam, qui uel istis amplissimis, maximeq; necessarijs rebus non afficiuntur, sed curant potentiam, uitæ splendorem & uoluptates, opes & similia, uel seruiunt non Iehouæ, sed falsis, corruptis atq; impijs religionibus, in quibus regnant idolatriæ, uenerationes mortuarum creaturarum, ubi scortationes pro castitate uenditantur, quas quidē doctrinas, ut uno uerbo expediam, Paulus uocat doctrinas dæmoniorum. Etsi autē hypocrisis plurimorū mentes fascinat, tamē uerbi Dei testimonia, istas prestigias execrantia, non sunt paruifacienda.

Tertium est, ut Magistratus pij osculentur filium, hoc est præcipue articulum de Iustificatione gratuita per meritum filij Dei Domini nostri Iesu Christi, quod quidem
sola

sola fide amplectimur, & ipsi discant, & sine adulteratione tradi, explicari & ad omnem posteritatem transmitti sinant. Namque ex eo caeteri articuli scaturiunt. Hoc diluto etiam reliquos corrumpi necesse est. Hoc saluo & puro, etiam caeteri lucem & dignitatem suam retinent. Ac uidere est in uniuersa historia Ecclesiae Dei, iam inde ab initio post lapsum, quantis insidijs ac machinis istum articulum de Iustificatione per solum Mulieris semen, Diabolus impugnaverit, quam quidem explicationem breuitatis gratia in praesentia amputo.

Ista autem omnia non dubito, Celsitudinem tuam, pro insigni sua pietate & sapientia praecclare intelligere, promptissimoque animo decreuisse, ipsi Do-

A 4 mino

Domino seruire, & nihil magis in uotis habere, quam ut T. C. una cum subditis uero pectore Dominum nostrum Iesum Christum osculari, & perpetuo apud ipsum uiuere possitis. Est enim hæc præsens uita, sicut diuina scriptura testatur, tantum quædã fugax umbra, ideo enitendum est omni sollicitudine & cura, ut & hic populum Deum habeamus, & illic æterna beatitudine fruamur.

Cum autem Magistratus ipsi nõ possint omnia, quæ ad doctrinæ traditionem pertinent obire, excitat Deus salutare Doctores Ecclesiæ, qui uoce & scriptis ueritatem cœlestem proponant, & contradicentes cõuincant, sicut Paulus docet, Christum propterea ad dexteram patris in cœlo consedisse, ut daret Ecclesia

pios

pios, eruditos, salutare doctores. Summis igitur uotis tam Magistratus quam ipsi subditi ab hoc datore, sanos & utiles operarios in messem hanc spiritualem expetere debent, et eos magnificare, confessionesque ipsorum & labores molestos, quos uarie Diabolus impugnat, iusto zelo adiuuare.

Videt tua Celsitudo, quantæ sint idololatriæ, cultus creaturarum mortuarum, quantæ corruptelæ summo rum fidei articulorum, quantæ prophanationes Sacramentorum, quæ Christus instituit, quantæ conscientiarum carnificinæ, quantæ libidines in conficto cælibatu, quantæ hypocrises in rebus omnibus in regno Antichristi, hoc est, papistico, ut satis superque manibus totoque corpore deprehendi, palparique possint.

A 5 Itaque

Itaq; non dubito quin tua Celsitudo, non modo intelligat, sed etiam abominetur, seseq; Iehouę m̄ciparit, & deinceps quoq; osculatura sit filium Dei Iesum Christum, non Antichristū, de quo Daniel, Christus, Paulus, Petrus, Iohannes præcipiunt exire, proposita etiam æterna pœna, in hoc fiat.

Quam foede, quā scelerate, quam impie, Theologastri Colonienles summum fidei articulum de Iustificatione hominis in iudicio Dei torqueant, obscurent, confundant, deprauent, dum in salutis nostræ meritum implicant bona opera, contra scripturā sacram, contra patres seniores, & deniq; contra piorum conscientiam, Tua Celsitudo ipsamet facile iutelligit. Paulus diserte ait, Si ex operibus legis iusticia est,
Christus

Christus frustra mortuus est. Item ex operibus legis, nō iustificatur in cōspectu Dei ulla caro. Itē, ideo ex fide gratis ut sit firma pmissio. Non igit̄ dubiū est, papisticos illos Theologastros, Phariseos & hypocritas improbos, minime osculari filium, sed potius eū in faciem cedere, hoc est, sumā ignominia afficere, dum obscurāt & deprauant ipsius meritū somnijs & commētis hominum, sicut alibi plixius refutant̄. Dolēdū autē in primis est, ipsos in tāta uerbi diuini luce, tātopere adhuc tēbris illis Antichristi delectari, & manifestissimos errores arte aliqua fucare.

Pie itaq; & recte faciunt synce-
ri Ecclesiae Dei doctores, quod istis
Pharisæis & impostoribus aut poti-
us latronibus animarū, graues op-
ponunt refutationes, ac præclaram
operam

operam nauauit Do. Licent. Hermannus Hamelmannus, quod singulari diligentia & dexteritate, ex pia antiquitate collegit testimonia de iustificatione, contra praeligias mancipiorum Antichristi.

Visum est autem haec testimonia ad T. Celsitudinem mittere, quia statuo illustrationem huius articuli tuae Celsitudini pergratam fore, praecipue cum hic T. C. manifesta & integra testimonia patrum de tam arduo fidei articulo legere ac cognoscere poterit, quae Theologastri Iesuitae & Antichristi, more sui Spiritus, a quo reguntur, improbe mutilare & corrumpere, eaque fraude incautis nimiumque credentibus imponere solent.

Deinde poterit haec collectio tuam Celsitudinem commonefacere,
ut eti-

ut etiam in cæteris rebus religionis omnia diligentius inquirat. Vtinam aliquando T.C. uiros doctos, tum ex Euangelicis, tum etiam Coloniensibus coram de tantis rebus differentes audiret, procul dubio, miras Antichristianæ turbæ fraudes & imposturas depræhensura esset, quamuis ea alias eas uidet, & merito abhorret.

Quod ad Licent. Hermannum attinet, vir bonus, pius, honestus ac doctus est, quem T.C. Celsitudini charum esse nihil dubito. Multis certe synceris & doctis uiris non tantum in Ecclesia Saxonica, uerum etiam alijs in locis notus, & propter singularem doctrinam, fidem & alia Dei dona gratus amicus est. Nec dubito, quin pluribus Ecclesijs, recte prodesse queat, si quando Deus eum

eum produxerit ex obscuro loco,
in quo nunc hæret.

Postremo hanc etiam ob cau-
sam istum Hermannij libellum in-
scribere uolui tuæ Celsitudini, ut
ea intelligat, eum cum ueris Do-
ctoribus Ecclesiæ cōsentire, ac rogo
tuam Celsitudinem, ut pio & beni-
gno animo istam nuncupationem
accipiat. Nam pios Magistratus,
nos qui in ministerio uerbi dei uer-
samur, ut debemus, magnificimus
& pro eis sedulo Deum rogamus.

Bene Vale. Ienæ, mense Apr.

Anno Domini. 1661.

T.

C.

D.

Iohannes Vuigandus.

PRAEFATIO

Recte dixit ex instructu Spiritus S. Ioannes: Si testimonium hominis accipimus, testimonium Dei maius est, Cum igitur tanta dexteritate, fide & diligentia illustrauerunt nostri Theologi locum de iustificatione ex sacris literis, plane laterem lauarem, si quid ego amplius laboris impenderem, quia crambe posita bis, mors est: Attamen, cum scripturis conuicti aduersarij ad Patrum & doctorum in Ecclesia autoritatem confugiant, operæpretium duxi, non unius uel alterius, sed omnium cuiusuis ætatis Patrum saniorum, perspicuas & apertas sententias de toto negotio, aduersarijs opponere, Et quanquã superioribus annis aceruum testimoniorum ex patribus collectorũ
de re

de re eadem in lucem dederim, tamen nunc & auxiliis infinitis multorum patrum sententijs, & in alium ordinem redegei hoc opus, tantaque fide & luce pio lectori, prioris Ecclesiae iudicium de hac controuersia proposui, ut nisi uelit caecutire, possit hinc liquido ueritatem cognoscere. Et nemo dubitet de mea diligentia, ego immerfus impietatibus aduersariorum per annos aliquot, non potui me inde expedire, nisi lectione patrum, in quorum libris euoluendis, ad indagandam ueritatem plus quam octo uel nouem integros annos impendi. Et cum certissima omnium, quos uidi, aut habere potui, copiam librorum eorumdem, testimonia patrum ex quouis seculo de iustificatione, de Sacramentorum numero, de Eucharistia,

ristia, de Sacrificio missæ, De Eucharistiæ administratione, de Reservatione, Transsubstantiationeque, de Purgatorio, de Ecclesia, de patribus & de scriptura, de traditionibus tacitis, de Papa & eius primatu deque concilijs, collegerim, & unanimum consensum, atque suffragia perspicua & aperta de quouis istorum articulo, magna diligentia, & fide ex Doctorum in Ecclesia libris in planum retulerim, non dubito. quin Lector grato animo accepturus sit hunc meum laborem, quem ei & Ecclesiæ Christi impendi, Et si compertum habeam, hunc laborem fore multis pijs gratum, haud grauatim dabo & easdem Patrum omnium sententias, quas in unanimum de præscriptis locis, qui hodie controuertuntur

B

tuntur

tuntur, consensum fideliter immenso labore collegi, tantum nunc experiar hoc primo consensu emisso, quomodo pijs ingens mea collectio placeat. Nihil uel in hoc consensu, uel in alijs adijciam ex meo, tantum uix tribus quatuorue uerbis, ubi explicoco quædam patrum de operibus, minus commodè dicta, declaro patris, cuius adfero testimonium, sententiam: Hunc morem & in alijs quoad fieri potest, consensibus dandis seruabo.

Crede itaq; Lector ueritati perspicuæ & nullam adhibe fidem aduersarijs, qui fucum prætendunt. Staphylus adhuc dubitationem fidei cum Concilio Tridentino tuetur, cum & multis
& per-

& perspicuis scripturis ipsum refutet Paulus Romanorum 8. Ex David dicere audeat, unum petij à Domino, quod requiram, ut inhabitem omnibus diebus uitæ meæ, in domo Domini.

Item Iob. Et si me occidas tamen in te sperabo. Et mi Lector quid aliud faciunt ista doctrina propaganda, quam quòd omnem spem & fiduciam orandi, Precationem Dominicam & Symbolum recitandi utilem persuasionem nobis eripiant, Quis enim dubitans posset dicere **NOSTER PATER**, Quis etiam in dubitatione posset recitare, Credo in **DEVM PATREM**, item in Filium Dominum nostrum, item in Spiritum

B 2 tum

tum sanctum, &c: Porro ut idem cum suis, ut Canisio, Lindano, Ofsio, & alijs estugium quaerat, conatur negare ita docuisse de opere operato Scholasticos, ueluti nos asserimus: Denique omnia sua exornant & nihil unquam uolunt peccatum & commissum esse in uerbum & honorem Dei, semperque fideliter gloriantur traditam doctrinam de remissione peccatorum & salute consequenda per Christum, Quare non incommodum duxi talem illorum detegere impudentiam, Nonne docuit Scaphyle Thomas, Missae sacrificium magis placere ex opere operato, quam Sacrificia ueteris legis? Distinc. 1. quaest. 5. Lib. 4. Et rursus alibi, Monachatum assumere, perinde esse, atque baptismatis Christi parti-

participem fieri. Nonne docuit Petrus de palude distinct. 1. lib. 4. q. 1. in probatione secundæ conclusionis, Omne Sacramentum nouæ legis iustificare ex opere operato? Nonne Gabriel in Missam lectione 27. testatur Missæ uirtutem esse ex opere operato? Et quid quæso aliud sunt omnes consecrationes unctionum, & salis & Chrismatis & olei, & ignis, & aquæ lustralis? quàm incantiores & quasi pretia condigna ex opere, ubi gloria, potestas & suum propriè officium atq; gratia Christo aufertur & elementis putidis ascribitur, & si quis mihi non credit, legat & expendat Pontificiorum Legendas Agendasq; deniq; Breuiaria, & horas de Domina, Rosaria, manualia monachorum & Nunnarum,

B 3

Diutur-

Diuturnalia, &c. In extrema unctione, teste Agenda, sic legit Sacrificulus Vngo te oleo, ut per hanc externam unctionem accipias plenam remissionem Peccatorum, Extat in libro de Sacramento altaris, Thomæ Aquinatis Capite primo. Sententia horribilis & Scripturæ plane contraria, ubi dicit Christum semel pro debito originali oblatum, quotidie autem offerri (scilicet in Missa) pro nostris quotidianis delictis in altari.

Numquid negari potest, quod in Legendis & Agendis de consecratione salis & aquæ, hæc uerba ubiq; in Papatu legantur: Exorciso te Creatura salis per Deum uiuum, per Deum sanctum, &c. ut

&c. ut efficiaris sal exorcisatus in
 Salutem credentium, ut sis omni-
 buste sumentibus Sanitas animæ
 & corporis, & effugiat & discedat
 ab omni loco, quo aspersus fue-
 ris, omnis nequitia & Phantasia
 uel uersutia Diabolicæ fraudis,
 omnisq; Spiritus immundus ad-
 iuratus, Et rursus super aquam
 æquè imò magis atrociora refert
 uerba, Et Glossa super Distin-
 ctione 50. 5. capite, ait per hanc
 aquam uenialia deleri peccata.

Inspiciat Lector ipse agen-
 das in Ecclesijs Pontificijs.

Quòd si semel legeret quo-
 que Pontificale Episcoporum,
 quo describuntur istorum con-
 secrationes, quibus Oleum &
 B 4 Chris-

Christina conficiunt, Deus bone
 quæ blasphemias audiret, imò cohör-
 rescendo legeres lector id ipsos lar-
 uatos Episcopos uelle ascriptum ele-
 mentis, quod soli Christo tribui-
 tur, & tribuendum est in Secula.
 Taceo nunc quantum Christo &
 eius detrahatur merito, turpi in-
 uocatione hominum mortuorum,
 Nouit pius lector quid nam tribu-
 ant Mariæ, quam in Salue Regi-
 na, uocant spem suam, reginam mi-
 sericordiæ, uitam suam. Item in
 Cantico, Hæc est præclarum uas,
 Hanc adeamus rea pectora tunda-
 mus, dicentes O clemens Maria
 Domina nostra, Itē in collectis, In
 omni tribulatione & angustia no-
 stra, Nunc & in mortis hora, suc-
 curre nobis uirgo Maria, &c. fin-
 xerunt Mariæ horas, & Missam
 quæ

quæ dicitur Missa de Domina,
 Taceo nunc horrendas blasphemias, quæ latius in Hortulis anime,
 Horis Mariæ, Diurnalibus & alijs
 libris extant, Franciscani similem
 fecerunt Franciscum Christo dum
 ei eadem uulnera assignant, quibus
 hoc denotatum uolunt, quòd
 eum hoc pacto Christus sibi similem
 fecerit Antoninus parte 3. Histo.
 Titulo 23, Antequam (scribit)
 Dominicus nasceretur in mundo
 imagines duorum depictæ, cernebantur à cunctis, quarum una erat,
 admodum religiosi in habitu ordinis
 prædicatorum cum lilio in manu,
 altera similitudinem habebat
 Apostoli Pauli, prout pingi consuevit,
 super quam scriptum est, Hagios Paulus
 id est sanctus, sub figura uero ad
 tales, sic per istum

B s stum

itum itur ad Christum, sub figura altera scriptum erat, Hagios Dominicus, sub ipso uero, facilius itur per ipsum, Nec mireris de huiusmodi pictura, Quia doctrina Pauli sicut cæterorum Apostolorum, erat inducens ad fidem & obseruantiam præceptorum, Doctrina Dominici ad obseruantiam consiliorum, & ideo facilius itur ad Christum per ipsum, Hæc Antoninus.

Gabriel quoq; scribit alibi, Christi passio sit principale meritum, propter quod confertur, gratia apertio regni, & gloria, nunquam tamen est sola & Totalis causa meritoria, &c.

Sic sentiunt de Christo Papismi, quem diuidium faciunt illi, ut ali-

ut aliquid ipsi, aliquid elementis
putidis aliquid sanctis, aliquid
etiam operibus & meritis suis
tribuant, & partem Christo, par-
tem alijs assignent & ascribant.

Iudicet nunc pius Lector de
toto negotio, Quare Staphylum
meum conterraneum rogarem,
ut tandem rediret ad se, & non
amplius contra conscientiam age-
ret, Sublatus est Gropperus quoque
Vuestphalus, qui cum antea co-
gnosceret ueritatem, postea pro-
pter honores lapsus est in horri-
bilem Papismi caecitatem, & uno
loco audet dicere Blasphemiam Lu-
theri esse, solam fidem iustifi-
care, cum hanc doctrinam, eo-
dem etiam sensit omnes omnium
aetatum patres pii nobiscum docue-
rit,

rit, Interim alibi docet nos solius
Christi meritis iustificari.

Erasmus Roterodamus cum
hanc doctrinam tueretur & mori-
turus, teste Renano unum inuoca-
ret Christum, tametsi languidius
in negotio Religionis egerit & ni-
mium, nescio honoris uel pecuniæ
causa, Pontificijs concesserit, hoc
premiij retulit ut eum nuper Pau-
lus 4. in suo catalogo cum omni-
bus libris plane damnauerit, & in-
ter hæreticos serio ipsum consuerit
habendum: Cum tamen longe ali-
ter de ipso senserit, Paulus tertius,
qui amicissimè ad ipsum scripsit,
eumq; ab integritate fidei commen-
dauit, tum quoq; per Lodouicum
Berum eidem propter catholicæ
fidei defensionem, galorum obtu-
lit, ut Epistola post librum de Pu-
ritate

ritate Tabernaculi, edita ostendat.
En mi lector sic consentiunt illi,
qui nostra colligi dissidia curant,
& à quibus nos religionem petere
debemus, de quibus turpiter ait
Stanislaus Osius, quòd nō errent.
Sed audiamus aliquid amplius, cō-
demnavit catalogus Pauli 4. om-
nes uersiones alias Bibliorum sa-
crorum, præter ueterem illam que
Hieronymi nomine circumfertur,
quanquam Hieronymi melior uer-
sio extet adhuc inter sua opera, in
prophetas & psalmos, item pleriq;
Cardinales, etiam uersionem ali-
am Flaminiij, item Eugubini Steu-
chi in psalmos probauerint, Quid
dicam de Leone 10. qui ualde com-
mendat uersionem Erasmi: eius
Epistola, quæ præfigi solet uersio-
ni Erasmi in nouum testamen-
tum, est

olu ni

tum est in omnium manibus. Sic non solum Pontifices nostro seculo, sed etiam superioribus seculis contenderunt secum, & posteriores priorum Decreta infregerunt. Nunc quoque in isto Pontificum catalogo, Papæ Pij 2. Aeneæ Syluij dicti, Acta de concilio Basiliensi, uel scripta de istis actis condemnauerunt, cum nec hoc ipse Pius, uel post ipsum usque ad Paulum 4. nemo Pontificum fecerit, aut igitur illi non obseruarunt istum erroneum libellum, aut solus Paulus considerauit, & illi caeci fuerent. Imo librum Reformationis ab ipso Paulo 4. tunc Theatino Cardinale, cum quibusdam alijs Cardinalibus conscriptum tempore Pauli tertij, cuius titulus erat de Reformanda Ecclesia, condemnatum uidemus in isto

in isto catalogo, quo etiam & Adriani 6. sententiam de abusibus Romanę Ecclesię ad Nureburgen-
sia comitia missam per Legatum damnarunt. Hęc est illa sancta uni-
tas Romanorum Pontificum, & tamen nos debemus ipsis fidere, i-
mò sic legitur Distinct. 40. Quòd si animas mille secum trahat in in-
fernum usq; tamen nemo debet quærere à Papa, cur hoc facis? Fu-
giamus igitur Babylonem & susci-
piamus puram doctrinam Christi & uetustissimę Ecclesię consen-
sum, non credentes his qui nos ad Romanum Pontificem & eius do-
ctrinam reducere conantur. Tu interim piè lector fruere his aper-
tis sententijs, donec alias in con-
sensum collectas de controuer-
siarum

fiarum articulis, dederò, quod pro
pediem fiet, si uidero hanc meam
primam ex alijs operam, multis
gratam fore. Dominus Iesus
hoc conficiat in nobis
quod incepit ad glo
riam sui nomi
nis, A-
men.

Tuus frater Herman-
nus Hamelmannus T.
Licentiatuſ.

VNANIMIS OMNIVM
PATRV M EX APOSTOLICA ECCLE-
sia, ex media etate, & qui postremis uixerunt seculis,
consensus de uera hominis iustificatione coram
Deo, in duas diuisus
partes.

PRIMA PARS.

CONSENSVS PATRV M EX APOSTO-
lica Ecclesia qui docent nos. Sola fide iustificari
coram Deo, ponentes explicite uo-
cem exclusiuam
Sola.

Iustinus in expositione fidei.

NEc aliud quam sola fides uestras hesita-
 tiones dissoluat. Idem in Dialog: cum Trypho-
 ne. Purificamur fide per sanguine Christi mor-
 temq; ipsius.

Clemens Alexandrinus, libro
7. Stromatum.

Per fidem solummodo efficitur fidelis perfectus. Idem
 lib. 1. Abraham non ex operibus iustificatus est, sed ex
 fide: Nihil ergo eis post finem uitæ proderit, etiamsi
 nunc recte operentur nisi fidem habeant.

B Irenæ-

Irenæus in præfatione libri tertij.

Pro sola uera, uiuificaq; fide resistes hæreticis. Idem libro 4. cap. 13. Fides quæ est ad Deum iustificat hominem, &c. Et libro 3 cap. 22. Ipse Dominus erat qui saluabat eos, quia per semetipsos non habebant saluari.

Origenes super tertium caput ad Romanos.

Vbi est gloriatio tua? Dicit sufficere solius fidei iustificationem, ita ut credens quis tatummodo iustificetur, etiamsi nihil operis ab eo fuerit expletum. Per fidem enim iustificatus est latro sine operibus legis, quia super hoc Dominus non requisit, quid prius operatus sit, nec expectauit, quid operis, cum credidisset expleret, sed sola iustificatione iustificatum, comitemq; sibi Paradysum ingressurus assumpsit.

Idem Homilia 15. in Iosuaam. Nulla species peccati est, qua non sit superior Iesus, qui est uerbum & sapientia. Multaq; alia habet Origenes in eandem sententiam.

Cyprianus in Expositione Symboli.

Pagani nobis obijcere solent, quod religio nostra quæ quasi rationibus deficit, in sola credendi ratione consistat. Ideo ostendimus nec agi nec stare aliquid posse, nisi præcesserit uis credendi. Item, uerum de remissione peccatorum, sufficere deberet sola credulitas, quis enim causas

aut res

aut rationem requirat, ubi indulgentia principalis est.
 Idem libro 2. Epistol. 3. Si Abraham Deo confidit & de-
 putatum est ei ad iusticiam, utiq; quisquis Deo credit et
 fide uiuit, iustus inuenitur. Idem sermone de passione Do-
 mini, plus potuit donum quã delictum, gratia quàm pec-
 catum, quoniam ex debito dānationis obnoxios gratis
 sine ullo merito, gratia, beneficio absoluit, & iudicium
 imperante Christo misericordiæ dedit locum.

**Eusebius libro 3. cap. 27. hi-
 storix suæ.**

Ebionitæ custodiendam censent legis obseruantiam,
 nec sufficere ad salutem solam Christi fidem.

**Hilarius in 9. caput, Matthæi
 de paralitico.**

Hoc à Christo per fidem remissum est, quod lex laxa-
 re non poterat. Fides enim sola iustificat, Atq; hæc uox
 ait Erasmus in lib. 3. Ecclesiastes, tot clamoribus hoc se-
 culo lapidata in Hilario reuerēter auditur. Item canone
 8. & 21. super Matthæum solam, ait, fidem in Christum
 iustificare homines, Et lib. 6. de Trinitate. Si uerò hæc
 sola fides confessa Christum Dei filium, omnium beati-
 tudinum gloriam meruit in Petro, &c.

**Nazianzenus in oratione de
 bono Ordine.**

Confitere Iesum Christum & credito, q. de mortuis
 resusci-

resuscitatus sit & saluaberis, iusticia enim est credere solum. Saluatio autem plena, confiteri & addere cognitioni libertatem sermonis, &c.

Arnobius in psalmos.

Nos dicimus, illi (qui adhuc non sunt redempti) per fidem solam ad indulgentiam attingunt.

Idem libro 2. contra Gentes, unius Pontificis Christi est dare animis salutem, Idem in Psalmum 31. Propter omne genus hominum Dei filius crucifixus est. Idem in Psal. 48. Vos qui confiditis in uirtute uestra, et in abundantia diuitiarum gloriamini, hoc sciatis, quod nullus uos ab interitu redimat, non pater, non frater, nisi homo Iesus Christus, qui dedit seipsum redemptionem pro omnibus.

Basilii in concione de humilitate.

Hæc perfecta est & integra gloriatio in Deo, quando ne quidem propter iusticiam suam aliquis effertur, sed agnoscit sibi deesse ueram iusticiam, fide autem sola in Christum iustificari, & gloriatur Paulus se despicere suam iusticiam, quæere autem fide per Christum iusticiam quæ ex Deo est.

Hesichius in Leuiticum, libro

1. capit. 2.

Miserus Deus humanum genus, quum illud ad exemplanda

plenda legis opera infirmatum uidiſſet, iam non ex ope-
ribus ſaluari, ſed per gratiam hominē uoluit, Gratia ue-
rò ex miſericordia fide apprehenditur ſola, non ex ope-
ribus, &c.

Chryſoſtomus in tertium caput ad Galatas.

Siquidem illi dicebant, qui non ſeruauerit legem etc.
& ruruſum illi dicebant, Qui fide ſola nititur execrabi-
lis eſt, hic contra demonſtrat, Qui ſola fide nititur be-
nedictum eſſe.

Idem ſermone 5. in Ephēſeos.

Ex ſola quippe fide nos ſaluat, Item in Acta ſuper
illud 15. cap. Fide purificans corda, A ſola, inquit, fide
hoc aſſecuti ſunt, & non ex operibus. Idem homilia o-
ctaua in Romanos traditore Germano Brixio in ini-
tio homiliæ, quod aliunde ſalutem aſſequi non licet, niſi
à fide. Idem in ſermone de Fide & Lege. Nullus ſine fi-
de uitam habuit. Latro autem credidit duntaxat, &
iuſtificatus eſt à miſericordiſſimo Deo, Atq; hic ne mihi
dixeris deſuiſſe ei tempus, quò iuſte uiueret & honeſta
faceret opera. Neq; enim de hoc contenderim ego, ſed il-
lud unum aſſeuerauerim, quod ſola fides per ſe ſaluum
fecerit, Nam ſi ſupra uixiſſet, ac fidei & operum negli-
gens fuiſſet à ſalute excidiſſet.

Ambroſius in tertium caput ad Romanos.

Iustificati sunt gratis, quia nihil operantes neq; uicem reddentes sola fide iustificati sunt dono Dei, Idem in caput 4. eiusdem Epistolæ. Quomodo Iudæi per opera legis iustificari se putant iustificatione Abrahamæ, cum uideant Abraham non ex operibus legis, sed sola fide iustificatum? Non ergo opus est lex, quando impius per solam fidem iustificatur apud Deum. Sic decretum est à Deo ut cessante lege solam fidem gratiæ Dei posceret Abraham ad salutem. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatos dicit, de quibus hoc sanxit Deus, ut sine labore & aliqua obseruatione sola fide iustificantur apud Deum. Idem ad Irenæum & super 2. Timoth: 2, Vident Abraham non ex operibus sed sola fide iustificatum esse. In 8. cap: ad Romanos conuenit, ut creatura in solo nomine Dei creatoris consequatur salutem, hoc est, per fidem, & sola fides posita est ad salutem, Idem in libro de uocatione Gentium, Hoc constitutum est à Deo, ut qui credit in Christum, saluus sit sine opere sola fide. Idem in Epistolam ad Gal: cap: 3. Manifestatis peccatis suis conclusi sunt, ut se excusare non possint, sed quæerent misericordiam, ut ueniens, qui promissus erat Abrahamæ, fidem solam ab eis posceret, quam habuit Abraham, ut & malorum ueniam & iustificationem mererentur.

Hieronimus in caput quartum ad Romanos.

Conuer-

Conuertentem impium per solam fidem peccata De
us iustificat, non per opera quæ non habuit, Item propo
suit gratis per solam fidem peccata dimittere. Idem in
11. cap: ad Roma: In tantum Israhel delicta & perfidia
occuparunt, ut ueniret tempus, quo gentes admitteren
tur ad uitam, & ita omnis Israhel pro solam fidem sala
uaretur, Et in cap: 10. Deus ex sola fide iustificat.

Augustinus tractatu 42. in Io
annem circa finem in
caput 8.

Quod sequitur, propterea uos non auditis, quia ex
Deo non estis: Eis dictum est, qui non solum peccato
uitiosi erant. Nam hoc malum commune erat omnibus,
sed etiam præcogniti, quod non erant credituri ea fi
de, qua uel sola possent à peccatorum obligatione libe
rari. Idem in sermone 68. de Tempore, Credidit Abra
ham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam: Ecce sine
opere iustificatur ex fide, & quicquid illi legali posset
observatione conferri, totum credulitas sola donauit.

Primasius in caput 4.
ad Roma:

Compensatur sola fides ei, Item impium per solam fi
dem iustificat non per opera, quæ non habuit, Si enim
secundum opera, puniendus est, non liberandus. Idē in

caput 5. Nemo uel Iudeorum uel Gentium est iustificatus ex merito suo, sed omnes per gratiam quæ fidem infundit, & ueritatem ostendit: & quod nec genus nec circumcisio, sed fides faciat filios Abrahamæ, qui ante circumcisionem ex sola credelitate iustificatus est. &c. Idem in caput 2. ad Galatas, Gentiliter & non Iudaice uiuis, Non ex operibus, sed sola fide per gratiam uitam habere te nosti. Item, si enim Gentes fides sola non salua uit, nec nos, quia ex operibus nemo iustificabitur, Idem in 3. caput, Abraham credidit Deo, & reputatum est ei ad iustitiam, ita & uobis fides sola sufficit ad iustitiam. Rursus ut sola fide Gentes benedicerentur. Item, ut participationem Christi per fidem accipiamus solam, Item ut promissio daretur credentibus, ut necesse esset sola fide per gratiam saluari credentes, Idem in 2. caput ad Epheseos. Gratis, non merito nostro sumus iustificati, ut humilietur sapientia humana, quæ se de meritis iactat, & sciat gratiam gratis datam, Gratia enim estis saluati, non meritis uestris, sed gratia gratis data. Hoc contra eos, qui dicunt, quod suis meritis saluentur, per fidem gratia illius, ait, estis saluati, per solam fidem, quam spiritus sanctus dono suo infundit, & non ex nobis Dei donum est, Dono gratiæ est, ne dicerent, quod fides ex ipsis esset, & non ex Deo, Ne quis gloriatur, se suis meritis accepisse, Idem in tertium caput ad Philipenses, Illam ait, quæ proprie Deo per solam fidem Christi, quam ipse donauit, collata est, non habens suam iustitiam

am iusticiam, sed quæ ex Deo est iusticia in fide ad cognoscendum illum. Qui hoc agnoscit, satis agit, ne sibi aliquid arroget, ut id, quod ei ex gratia Dei donatum est, ille uel legi tribuat uel naturæ, sed soli Deo, cuius donum est, deputet &c.

Leo Papa Roma: in Epistola
Decretali 97. cap: 2.

Fides uera iustificans impios & creans iustos, ad humanitatis suæ tracta participem, in illo acquirit salutem, in quo solo homo inuenit, se innocentem, Idem in Epistola 70. Humanum genus sola catholica fides uiuificat & sanctificat, Itē sermone 14. de passione Domini: Nemo posset laqueis mortalitatis absolui, nisi ille, in quo solo erat innocens natura omnium, sineret se interfici manibus impiorum.

Faustus Episcopus, de Gratia
Dei & humane mentis li
bero arbitrio, Libro 1.

Tempus gratiæ, quo redempti sumus, merita hominū non expectauit, opera penitus non quæsiuit. Sola Deus fidei deuotione contentus fuit, secundum illud Apostoli, Credidit Abraham Deo, et reputatus est illi ad iustitiam. Et rursum, Dicunt ergo ad cultum Dei atq; famulatum, etiam post baptismi salutare donum deuotæ seruitutis, obedientiam non requiri, sed solam per se gratiam esse

Etum humanæ salutis operari, totum inquit, solius est gratiæ, Istud melius à nobis poterit dici, hoc magis nostris partibus conuenit adplicari, qui non in partē, sed in totum genus humanum gratiæ beneficia fatemur extendi: sic tamen ut ei uigilantiæ humanæ studium per omnia iudicemus adiungi. Nam qui negat gratiæ ad sociandum famulari laboris conatum, homini seruitutis officium: Nescio ubi, aut quando ab opere feriari, quando otio debeat derelinqui, qui etiam in paradysso iubetur operari, In quo, sicut legimus, ita est constitutum, ut operaretur, custodiret illum. Cum dixerint, totum gratiæ Dei est, quis non ad tam reuerendum nomen omni cordis inclinetur affectu? sed tum responderimus, totum plane gratiæ est, sed omnibus ea offert atq; ingerit ad salutem omnium conditor ac redemptor &c.

Sed hunc faustum reprehendit Ioannes Maxentius ad Hornusilam Papam his uerbis, Faustus (qui superius dixerat, Tempus gratiæ quo redempti sumus, merita hominum non expectauit) opera penitus non quasiuit, sed sola fidei nostræ deuotione contentus fuit, Mox in eodem capite post paululum sequitur, suamq; ipse sententiam destruens, sicut fidem ita etiam opera ad hominem pertinere ait, Sicut enim inquit, ad Deum largitio munerandi, ita ad hominem deuotio inquirendi pertinet: Et rursus Euacuans, namq; donum Dei Faustus, omneq; gratiæ adiutorium, mox in sua præfatione, misericordiã Dei qua gratis iustificamur, non nisi fide & operibus prome-

promerendam, docere nititur, idq; falso &c.

Et multa alia in hoc Fausto reprehendit, probans & primas & medias & ultimas partes in nobis gratiæ tribuendum tantum & non operibus Maxentinus.

**Sedulius Scotus in caput 4.
ad Roma:**

Conuertentem impium per solam fidem Deus iustificat, non per opera quæ habuit.

Theodulus cœlo Syriæ, presbyter in Enarratione Epistolæ ad Roma-

nos cap: 4.

Lex ipsa, ob quam gloriaris, nihil profuit ad promissiones ipsi Abraham factas, ut quæ nondum sancita esset, sed sola fides, Et rursus, David iustitiæ fidei tribuit sanctificationem citra opera, Beatitudo summitas adeoq; finis bonorum est, Et rursus, iustitia per fidem sine operibus, Et in cap: 5. positis ijs quæ ad Christum attingit, nostra etiam subdit, ad inenarrabilia dona & beneficia Dei in nos collata, nos nihil præter fidem attulimus, Quod uero ait stamus, stabilitatem significat. Idem in caput 11. Gratia est quicquid per Christum contingit, nec opera ad fidem sunt necessaria. Neq; enim qui crediderunt, ob præterita opora, uocatiõe illa digni nisi sunt, uerum gratia Dei totum est hoc.

Sequuntur

44 DE IUSTIFICATIONE
SEQVNTVR NVNC EX
MEDIA AETATE PATRES ECCLE-
siae, qui docent nos sola fide iustificari coram
Deo, utentes particula exclu-
siva: *Sola.*

Oecumenius in Epistolam ad Ro-
manos super illud, Quid ergo di-
cemus Abraham patrem no-
strum, inuenisse secun-
dum carnem.

Vides quod nihil omnino habeat, ne uestigium qui-
dem operū, ad huiusmodi beneficia, quæ à Deo
recepit? Vnde ergo his dignus habitus est? Ex
sola fide. Credidit enim Abraham Deo, ait scriptura,
& imputatum est ei ad iusticiam. Idem super Galatas,
Nos qui iam sub legem fuimus & ipsam soluerimus, so-
la; fide contenti fuerimus, quis redimet ab execratio-
ne legis, quum scriptum sit, execrabiles sunt, qui non
manserint in lege? Hoc igitur soluit, ostendēs, quod Chri-
stus sui execratione nos à legis execratione redemerit.
Bene autem dicitur redemisse, Dato enim præcio sic ut
ipse fieret execratio, redemit nos ab execratione legis,
Idem super illud Pauli ad Galatas, Iustus ex fide uiuit,
unica est fidei uia quæ iustificat, Idem super illud Episto-
le ad

la ad Roma: Ad ostentationem iusticiae suae, suae inquit, hoc est, ipsius solum est talis, tantaque iusticia. Item fides gloriationem exclusit, quaecumque uidentur operum praerogatiuae per fidem exclusae sunt absque nostrorum operum necessitate. Idem super illud ad Roma: Iusticia Dei super omnes et in omnes: Nonne tu gloria ac beneficentia Dei posterior es, gratisque, hoc est, absque tuis operibus rectis saluaris? ac rursus, ita ut nihil conferas aliud praeter fidem, quicumque iustificaris, gratis iustificaris, Et mox, omnes qui in Deum crediderunt, gratis iustificantur, ipsum credere tantum conferentes, quomodo uero iustificamur? redempti a peccatis nostris, per quem iustificamur? per Iesum Christum, quomodo ille redemit proprio sanguine.

Phocius patriarcha in caput 3. ad Galatas.

Uniuersi conclusi fuerunt sub peccatum, quapropter ex sola fide possunt adipisci promissionem. Nam ex lege magis etiam in peccatum compulsos esse uniuersos, plannum factum est. Redarguit scriptum diuina, tam eos qui fuerunt ante legem, quam eos qui in lege: Illos quippe transgressores legis naturae, hos Mosaicae, Remedium autem sanationes obtulit promissam per fidem salutem. Idem in caput 2. ad Colloss. Etenim transgressi ea ad quae obligati eramus, tenebamur Chyrographo. Sufficit autem credere solum, et baptisate deletur Chyrographum.

Theos

Theophilactus in tertium caput
ad Galatas.

Nunc plane demonstrat fidem ipsam uel solam iustificandi in se uirtutem habere. Lex namq; non solam exigit fidem, sed & opera. Abacuc dicentem inducit, Quæ ex fide non à lege uicturus est iustus. Idem in caput 4. ad Roma: ut haberi pro cõperto queat Deum posse hunc qui impiè uixerit, non solum à tormentis eximere, sed iustum reddere, illuc subdit, Credenti autè in eum, qui iustificat, & ideo credenti, cui fides ad iusticiã reputabitur. At illius fidem admittit Deus, non ea propter, ut dependat ei mercedem, sed ut faciat iustum. Num igitur est & hic quippiam allaturus? fidem duntaxat. Idem in 2. Thessa: 2. Ait namq; uel uobis nil laborantibus pro sola fide daturus est ille æterna bona, &c.

Appendix.

Et hi tres Oecumenius, Phocius & Theophilactus fuerunt Græci, & collegerunt in modum rapsodiæ suæ cõmentariq; ex antiquissimis et optimis ueteris Ecclesiæ Doctorum scriptis, quare ex his ipsorum uerbis liquido constat hunc ab antiquissimis doctoribus, ad ipsos fuisse consensum perpetuum, homines sola coram Deo fide iustificari, apud Græcos in Catholica Ecclesia. Nos igitur hunc consensum fideliter tueamur, quem illi à maioribus acceptum, posteris quoq; tradiderunt in scriptis, &c.

Beda

Beda in collectaneis ex Augustini
operibus in omnes epistolas Pauli:

Ex restitutione uenerabilis Be
dæ, in caput tertium ad
Romanos.

*Quod credidit Abraham Deo & reputatum est ei
ad iusticiam, quod credidit Deo intus in corde, in sola
fide est.*

Idem in lectionem cap: 3. ad Galatas
super Epistolam Dominicalem
Dominicæ 15. à Tri-
nitate.

*Quia per nullius hominis merita nec promissa nec
ipsa data est benedictio, & facta redemptio, nisi sola
gratia filij Dei.*

Idem in Dominicæ primæ post o-
ctauam Pentecostes, lectionē
Epistolæ Ioannis, 1. Io-
annis 4.

*Nullis hominū meritis Deus Pater dilexit hominē, sed
sola tantū gratuita misericordia sua in tantū dilexit hōes,
ut unicū suum filiū mitteret pro peccatis hominū, ne ho-
mines amplius morerētur in peccatis, quicumq; eius obe-
dirunt*

dirent præceptis, Et quia per inobedientiam primi hominis moriebantur omnes homines Deo in peccatis, ideo obediens esse dignatus est Deus ipse filius Dei, Deo patri suo usq; ad mortem, ut pro hominum moreretur uita & salute, ut omnibus sibi credentibus uitæ uiam aperiret, et secum ad æternam & beatam immortalitatem perduceret, unde per culpam ceciderant &c. Et paulò ante: Et pro mortuis moritur, ut nos qui eramus mortui in peccatis, & in delictis necati, ab omni liberaret, peccato, remissionemq; donaret omnium peccaminum criminumq;, atq; à morte nos uocaret ad uitam.

Idem Sabbato post Domini-
cam 3. post octauam pen-
tecostes in Romanos

cap: 5.

Nullis nostris meritis, sed omnes Dei magna gratia
& misericordia sumus saluati.

Idem Dominica 7. ab octaua
pentecostes in cap. 5. ad Rom:

Refert Apostolus, quomodo per unius hominis peccatum totus mundus in condemnationem positus, per unum Iesum Christum iterum sit liberatus, ut in præsentia lectione audiuiſtis. Adam enim peccato præuaricationis suæ totum mundum maledictioni & condemnationi subiecit. Sed Christus sanguinis sui effusione totum mundum

mundum à maledictione eripuit, & paulò post, Christus autem Dei filius ad liberandos ab eadem damnatione, nullis nostris meritis, sed sola gratuita misericordia sua uenit in hunc mundum, deleuit Chirographum nostræ maledictionis, sua propria passione & morte, nobisq; æternæ mortis perniciem euadendi aditum patefecit &c.

Haymo, in Euangelij Explicatione de circumcissione de gentibus sic ait.

Sola tantummodo fide saluabantur, sicut scriptum est, Iustus ex fide uiuit. Idem in caput. 3. ad Galatas. Lex non complebatur fide sed opere, Euangelium autem, completur fide magis quàm operibus, quia sola fides saluat, Idem in 11. caput ad Hebræos de Raab sic ait. Magnam consolationem & exhortationem beatus Apostolus isto in loco omnibus præbet, Quia si meretrix infidelis & idolatra sola fide saluata est, multo magis illi saluabuntur, qui in grauiora crimina non sunt prolapsi.

Bernhardus sermone 3. de Annunciatione.

Auditam ait, fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speraui Domine. Sola nimirum spes apud te miserationis locum obtinet, Et mox, Dicat quis in pauore suo, uadam ad portas inferi, ut iam non nisi in sola misericordia

C

sericordia

sericordia Dei respiremus, Hac uera hominis fiducia est
 à sese deficientis & innitentis Domino, Idem in cantica
 canticorum sermone quadragesimo tertio: Misericordi-
 as Domini in aeternum cantabo nunquid iusticias meas?
 Domini memorabor iustitiæ tuæ solius, Ipsa enim est
 mea. Idem sermone 22. in eundem librum, Quamobrem
 quisquis pro peccatis compunctus esurit & sitit iustici-
 am credat in te qui iustificas impium & solam iustifica-
 tus per fidem, pacem habebit ad Deum Idem sermone
 23. in Cantica, O solus uerus beatus cui non imputauit
 Dominus peccatum, Sufficit mihi ad omnem iusticiam
 solum habere propitium, Cui soli peccaui &c.

Paschasius (qui posset ueteribus an-
 numerari, dum nobis non sa-
 tis constet quo tempore uix-
 erit) in libro de corpore
 & sanguine domini, ca-
 pite octauo.

Vbi Christus futurorum bonorum pontifex pro om-
 nibus assistit, uere accipitur ac cum carne una omnia
 Christi sanguine parta bona, quarum sola fides capax est,
 Item nono capite, Nullus saltem nisi iustitia fidei iustus
 inuenitur. Item capite duodecimo, Constat solam fidem
 huius misterij capacem esse.

Ad eundem modum loquitur & Thomas aquinas in
 hymno

Hymno Pange lingua, de Sacramento. Sola fides sufficit, præstet supplementum sensuum defectui fides:

Sic et Damascenus libro 4. ait quoque, Quæ spiritus effecit (scilicet in sacramentis et in scriptura) quæ supra naturam sunt non nisi sola fides potest comprehendere.

Glossa ordinaria in 3. caput ad Galatas.

In ipso solo (Christo) uera nostra beatitudo et perfecta est.

Eadem in Epistolam Iacobi.

Quod Abraham per fidem sine operibus iustificatus dicitur, de operibus quæ precedebant fidem, intelligitur, quia per opera quæ fecit, iustus non erat, sed sola fide. Hic (apud Iacobum) de operibus agitur quæ fidem sequuntur, per quæ amplius iustificatur, cum iam per fidem fuisset iustus, unde Paulus, fide Abraham obtulit, Isaac cum tentaretur. Hæc oblatio est opus et testimonium, fidei et iustitiæ etc.

Lyra in caput tertium ad Galatas.

Ad quid fuit lex utilis? Si lex non iustificauit, sed sola fides quare ergo posita et data? etc.

Idem in idem caput ex postilla, Iustus ex sua fide uiuit, Ex quo patet, quod iustitia iustificans ex sola fide est,

C

2

Bona-

Bonaventura in librum quartum
sententiarum, distinctione de-
cima quinta, quæstione 1.

Quia homo non potuit pro tanta offensa satisfacere,
ideo Deus dedit soluatorē & mediatorem, qui satisfacere
ret pro offensa, unde in sola fide passionis Christi remit-
titur omnis culpa, & sine fide eius nullus iustificatur.

Simon de Cassia in opere suo au-
reo, de Religione Christiana
libro 10. cap. 7.

Abrahe crediuitas solum sibi ad iusticiam deputa-
ta est.

Anselmus in Epistolam ad Ro-
manos in caput 4.

Paulus sine precedentibus operibus dixit hominem
sola fide posse iustificari. Nemo enim suis precedentibus
meritis habere hoc potest, Et ideo, qui per fidem gratis
sibi datā iustificatur, nō in se, sed in Domino gloriatur,
quia dum ex operibus habet fiduciam, per omnia intel-
ligit se debitorē, nihil inueniens, q̄ sibi arrogare possit
ex meritis. Item, sola fides sufficit ad iusticiam credenti
in eum qui iustificat impium, & idcirco fides, quia cre-
ditur in Deum, ipsa est sola, quam ille approbat, Magna
est beatitudo hominis sine labore legis uel pœnitentiæ
fides

*fidem per solā gratiam promereri, secūdum propositum
Dei, quo proposuit gratis peccata dimittere.*

Venantius Honorius Clementia-
nus Fortunatus, Presbyter, Italicus
in Exegesi Symboli Apostolici
super illud. Credo remis-
sionem peccato-
rum.

*Nobis in hoc sermone sola credulitas sufficit, Nec ra-
tio requiritur, ubi principalis indulgētia comprobatur.
Ipse rex terrenus à nullo discutitur, si quodcunq; largi-
tur. Nam ille q̄ potuit de luto hominē facere, idē potens
est et lutulētum purgare, et ualet innocentia perditā re-
stituere, q̄ sepultos & mēbra perditā reuocat ad salutē.*

Sequuntur nunc illi Catholici Pa-
tres ex nostro seculo, qui nostra æ-
tate, uel paulō ante nos uixerunt in
Papatu & ipsi cōsenserunt, uel cum
ipso colluserunt, tametsi & hanc
doctrinam probent & par-
ticula exclusiua u-
tantur.

C 3 Ioan-

54 DE IUSTIFICATIONE
Ioannes Trithemius Abbas,
Spanghemensis in lib. Questio-
num 8. quæstione 2.

*Neminem excipit, nullam conditionem admisit, quo-
niam pro cunctis uenerat pati, per solam fidem omnium
prouiderat saluti, Hæc ad Maximilianum Cæsarem scri-
sit. Idē in Epistolis suis, Epist: ad Iacob: Kymolanū Theo-
logum, uerā quæramus salutem et sapientiam, quæ in so-
la fide Domini nostri Iesu Christi formata existit, &c.*

Eraſmus Roterodamus in argu-
mento super Epistolam Pauli
ad Romanos.

*Paulus docet ueram iusticiam ac perfectam salutem
citra legis auxilia per Euangeliū ac solam fidē in Chri-
sto cōferri ex æquo omnibus, Et mox. Hoc imprimis agit
Paulus ubiq; ut legis ceremonias abroget atq; antiquet
omnemq; ad piscendæ salutis fiduciam in unum Christiū
transferat. Idem in Paraphrasi in caput 4. ad Romanos.
Christus gratis perfectā iusticiam cōfert etiā impijs, quo-
rum uniuersa scelera, sua morte sustulit, ijs inquam ad
exemplum Abrahæ hoc præstat, ut pro iustis habeantur
nulla legis obseruatæ commendatione, sed solius fidei.*

Iacobus Sadoletus Cardinalis in
tertium caput ad Roma: libro
1. Commentario.

Hæc sit

Hac fide in Deum freti inquam asseueremus primum
 illud, quod indubitatum est, certumque retinemus sola fide
 erga Deum per Christum Iesum, posse nos saluos fieri,
 neque aliud nomen esse sub caelo, ut Lucas inquit, in quo
 salus sit mundo proposita, Idem lib: 1. in cap: 4. Glorie
 autem talis fundamentum est fides, quandoquidem in fi-
 dem solam haec Dei excellens iusticia transmittitur, etc.

Lodouicus uiues in libro 2. de ueri-
 tate fidei Christianae, religionis no-
 strae fundamento contra Ethnicos
 Iudaeos Agarenos & Mahu-
 metanos cap: de morte &
 tormentis Christi.

Quid magis uniuersis hominibus conducit, quam
 certos esse nos in extremis nostris rebus ac pene deplo-
 ratis salutem esse paratam per solam fiduciam in Chri-
 stum, si nos illi uel puncto uno temporis, uere ac ex ani-
 mo commendemus? Datum est eius rei certissimum si-
 gnum ac manifestum exemplum in altero latronum, in
 altero uero ostensum est nihil proficere societa-
 tem laboris & crucis Christi, nisi adsit
 etiam fiducia in il-
 lum, etc.

C 4 Ger-

Gerhardus Lorichius Hadamarius à Vuicelio & alijs commēdatus, in institutione sua Catholica fidei orthodoxæ, excusa anno 36. ad Archi Episco: Trinericum in loco de utilitate fidei Catholicæ.

Scripturam eam Apostolus Roman: quarto declarās ostendit mera et sola fide Abrahamum iustificatū. Nam cum dicitur Abrahæ imputatū esse ad iusticiam fidē, non est locus merito proprio, in quo gloriari possit Abrahā.

Isidorus Clarius Britianus in annotationibus in nouum Testamentum, cum textu Antuuerpiæ excusis in caput 4. ad Romanos.

Secundum gratiam, idem esse hoc pacto dicitur, Ex fide iustificari est sine operibus (hoc ait Paulus) sine operibus uero est secundū gratiam. Iustificari ex fide est secundū gratiam. Itē, quod si cogitaretis nō tanti faceretis circuncisionē perinde quasi salutem et iustificationē illa adferat, quā sola fides etiam ipsi Abrahæ contulit.

Idem in tertium cap: ad Roma. Solus Deus iusticiam præstare potest, cum solus sit iustus, Exclusa est gloriandi ratio

di ratio & lex fidei id prestat, ut disceremus eum, qui gloriaretur, frustra gloriari, & fidei lex ostendit homini, quantum per se nihil sit & sola nititur Dei beneficentia, &c.

Ioannes Ferus, concionator Maguntinus, in prima concione de nouo Anno uel de circūcisione Domini.

Per Christum nobis remittuntur peccata, quando talem pro nobis egit penitentiam, ex Christo Dei gratiam & fauorem habemus, quoniam in omnibus patri morem gessit. Ex Christo quoque adoptionem filiorum Dei consecuti sumus, quia filius hominis et frater noster factus est. Hec omnia de Christo & Deo polliceri nobis audacter possumus, uerū ad hoc requiritur fides, sola namque fide id comprehenditur. Ea fides nos cum Deo & Christo conciliabit, & inseret nos in consortium fidelium, Ea fides conscientie nostrae motus pacabit & consolabitur nos in omni aduersitate, Ea fides non sinet nos à uera flectere uia, & in errorem prolabi, &c. Idem in sermone nono de eodem festo, Beati qui non uiderunt & crediderunt, Diu intucare hunc infantem oportet, priusquam perspicias Saluatorem esse. Etenim sola fide hoc percipitur, Nam salus, quam Christus operatur ac instituit, recte & clam agitur. &c.

Liber reconciliationis propositus
in Comitibus Imperij Ratispome à
Carolo 5. ordinibus Imperij in
loco de Iustifica-
tione.

Qui autem dicunt sola fide iustificamur, simul tradere debent doctrinam de pœnitentia, de timore Dei, de iudicio Dei, de bonis operibus, ut tota summa prædicationis constet, sicut Christus ait prædicantes pœnitentiam & remissionem peccatorum.

Huic articulo subscripserunt Eccius, Ioannes Gropperus & Iulius Plug, ut acta testantur.

SECVN.

HOMINIS. DE 59
SECUNDA PARS LI-
BRIVS.

SEQUUNTUR NUNC
ALIA VETERVM ET RECENTIORVM
testimonia patrum ac Doctorum, quibus docemur ama-
plius, nos solius Dei Christi; gratia, ope & misericor-
dia, saluari & iustificari, siue gratis, & non ex
nostris meritis remissionem peccatorum
& uitam habere, nullamq; coram
Deo nostram esse iusti-
ciam.

Ex prima Apostolicorum & uete-
rum ætate Rom. Clemens lib:
1. Recognitionum.

Ad ultimum admonui eos, ut priusquã progrederen-
tur ad gentes, prædicare ipsis agnitionem Dei patris, in
ipsi recõciliarentur Deo, suscipientes filium eius, Aliter
enim nullo modo eos ostendi posse saluari, nisi per sancti
Spiritus gratiã trine inuocationis dilui baptismo pro-
perarët, & Eucharistiam Domini Christi sumerent, cui
soli de his quæ docuit, credere deberent, ut sic æternam
salutem consequi mererentur, aliter impossibile prorsus
esse Deo reconciliari eos, etiamsi mille ei aras & alta-
ria succendant.

Idem

Idem in eodem, ueri propheta: O Petre traditiones
 expone, cui soli credendum esse euidenter probatū est.
 Martialis martyr & Episcopus Le
 mouicensis, qui se inter septuaginta
 duos discipulos Domini re-
 fert, in Epistola 1. ad
 Burdegalenses.

cap: 12.

Vos filij mei, quos in Christo per Euangelium genui,
 solum patrem cognoscite Deum, & solum Dominum co-
 gnoscite Iesum Christum, & solum dominantem uiuifica-
 tricem spiritum sanctum, & unam fidem, unum bap-
 tisma, unum Deum creatorem omnium diligite ipsumq; so-
 lum timete. Et cap: 13. Solum autem Deum timentes, eum
 qui in fidelibus dominatur. Satanam nolite timere. Ni-
 hil enim gregi Christi poterit nocere, quem fortem ui-
 det in fide eius, qui eum mundauit, ut non haberet im-
 mundiciam, sed plenam & perpetuam gratiam, Idem
 in 2. Epistola ad Tolessanos cap: 7. Non est alius Deus
 in caelo & in terra, in quo oporteat nos saluos facere, ni-
 si Dominus Iesus Christus, Et rursus in 1. Epistola cap:
 8. In fide estote perfecti, pro certo scientes, quia Iesus
 Christus est filius Dei uiui, qui sedet ad dexteram Dei,
 & uos protegit, ut regnum Diaboli disperdat, Item cap:
 9. Maxime uiuimus per passionem agni incontaminati,
 qui à Iudæis in cruce pro salute mundi, passus est, ipsius
 sanguis

HOMINIS.

61

sanguis uulnera lauit nostrarum animarum quibus à morte fatigati & per lignum uetitum usq; ad passionē Domini & mortificati & consopiti, ineffabili dolore prosternebantur, Item in 2. Epistola cap: 8. Gratia saluati estis, Nec ullo modo dubitetis, promissiones Dei aternas &c. Item cap: 22. Nec enim uos uictores estis sed Deus omnis gratiæ, in quem fideliter creditis & aspiratis, quem uere diligitis, Ideoq; nihil meritis uestris asseribatis, quasi non egentes Dei gratia, quia sine Deo nihil potestis facere.

Polycarpus in Epistola ad Philippenses.

Firmitas fidei uestre sanctificatur in Domino Iesu Christo, qui sustinuit pro peccatis nostris usq; ad mortē, quem resuscitauit Deus, dissoluens dolores inferni, quem cum non uideritis nunc diligitis, in quem nunc aspicientes creditis, credentes autem gaudebitis gaudio enarrabili & glorificato (in quo multi desiderant introire) scientes quia gratia facti estis non ex operibus, sed in uoluntate Dei per Iesum Christum.

Ignatius in Epistola ad Epheseos.

Medicus autem noster est solus uerus Deus ingenitus & inuisibilis Dominus omnium unigeniti pater & genitor. Habemus autem medicum etiam Dominum nostrum Iesum Christum, ante secula filium unigenitū &c. Et mox unusquisq; uestrum perfectus sit in Christo Iesu, qui est saluator omnium hominum, maxime fidelium.

Idem

Item in Epistola ad philadelphenses, Credo gratiæ Christi Iesu, quia soluit à nobis omne uinculum iniustitiæ, Et mox ipse est uia quæ ducit ad patrem, Ipse est petra, maceria, clauis, pastor, sacerdotum ianua scientiæ & agnitionis, per quam introiuit Abraham & Isaac & Iacob, Moyses quoq; atq; omnis clerus prophetarum, & columnæ mundi Apostoli & sponsa Domini Ecclesia, pro qua sanguinem suum fudit, ut eam redimeret, Omnia igitur hæc in unitate unius & unigeniti ueri Dei. Quid autem præcipuum habet Euangelium præsentiam aduentus saluatoris nostri Iesu Christi, passionem, sed & ipsam resurrectionem, Quæ enim prophetae annunciarunt dicentes, Donec ueniat cui repositum est & ipse erit expectatio gentium. Hæc in Euangelio completa sunt dicente Domino, Pergite & docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & filii & spiritus sancti: Omnia ergo bona sunt, simul lex, Prophetæ, Apostoli, omnis congregatio quæ per ipsos credit, solum autem restat ut inuicem diligamus, Item in eadem, omnes enim sancti, Cum Christo saluati sunt per ipsum, in ipso sperantes atq; ipsum expectantes, & per ipsum salutem adepti sunt, Item in Epistola ad philippenses, scio enim & noui unum solum, cui non denego seruire, à quo tu Sathan apostata factus es.

Tertulianus in libro de Resurrectione carnis.

In articulum de Resurrectione tota fides committitur, Idem

DE IUSTIFICATIONE 62

*Etur Idem de carne Christi, totum hominem saluum fecit.
Idem libro 2. contra Marcionem, sola nunc bonitas de-
putetur, quæ tantum homini largita est &c. Item libro
1. contra eundem, fide manente in creatorem sola lex
concessare debebat. Stabat fides semper in creatore &
Christo eius, Item libro 5. contra eundem, Negat Apo-
stolus ex operibus iustificari hominem sed ex fide, &
ex fidei libertate iustificatur homo & non ex legis ser-
uitute, si in lege maledictio est, in fide benedictio est,
Lege non iustificatur operarius, fide uiuit iustus, &
credentes sunt filij Abraham & fidei &c.*

Macarion Eremita homilia 31.

*Inspecto prius tuo quærendi illum desiderio, & ut
in illo totam fiduciam sine intermissione collocas: docet
ille suppeditatq; ueram præcandi facultatem, ueram
charitatem, qui est ipse apud te factus omnia, paradi-
sus, lignum uitæ, margarita, corona, architectus, agri-
cola, patibilis, impatibilis, homo, Deus, uinum, aqua ui-
uens, sponsus, bellator, arma, omnia in omnibus Chri-
stus, Itaq; sicut pusillus seipsum curare uel ornare non
nouit, sed flens duntaxat oculos in matrem conuertit,
donec misericordia mota excipiat illum, ita fideles a-
nimæ, soli Domino perpetuo fidunt omnem illi tribuen-
tes iusticiam. Idem homilia 44. Siquidem ut pastor ouem
scabiosa curare potest & à lupis conseruare, ita uerus
pastor Christus ueniens solus ouem perditam & morbo-
sam hoc est hominẽ sanare & cõuertere potuit a scabie
& lepra peccati: & rursum uera sanitas proficiscitur
à Domi-*

à Domino solo, Item homilia 45. In nullo alio inueni-
tur salus & requies, quam in Christo: Item. Non alia
quæcunq; antea cōmemorata sunt, animam conuersam
peccato, & quæ pure perspicere nequit, eripiunt à pec-
cato, excepta sola Christi presentia, quæ potest ani-
mam & corpus expurgare, Item, Quapropter sagax
& prudens anima cunctas percurrens creaturas, sibi
quietem ipsa non reperit nisi in Domino solo. Item ho-
milia 20. Omnis anima percussa incurabili uulnere pec-
cati habensq; fontem prauarum & immundarum cogi-
tationum, si accesserit ad Christum, & uere credens de-
precata fuerit, sanitatem salutarem consequitur ab in-
curabili affectionum fonte, ac deficiēs exicatur ille fons,
qui cogitationes immundas producebat per uirtutem
Iesu Solius, Nec est in alterius cuiuspiam facultate, ut
hoc uulnus sanare possit, Et mox: Tam grauius ergo læ-
sus est (homo) ut nullus præter solum dominum sanare
possit, huic soli possibile est, Nam ipse ueniens abstulit
peccatum mundi.

Et rursum, Nec potuit uniuersa illius (legis) iustifi-
catio ipsum curare, donec ueniens saluator uerus medi-
cus, qui gratis sanat, Qui quidem seipsum in præcium
generis humani tradens, solus ipse magnificam & salu-
tarem redemptionem ac sanitatem animæ operatus est,
Huius solius medicamenti beneficio potuit homo con-
sequi sanitatem. Item Homilia 16. Profecto non aliunde
puritas cordis comparari potest, quam per eum, qui
pro nos

pro nobis crucifixus est, ipse est enim uia uita, ueritas, hostium, margarita, & panis uitæ.

Lactantius libro 4. cap. 19.

Vitam acquieuit nobis morte superata (loquitur enim ibi de sepultura & resurrectione Christi) Nulla igitur spes alia consequendæ immortalitatis homini datur, nisi crediderit in eum.

Maximus in libro de charitate 1. cap: 17.

Dominus noster Iesus Christus eadem eharitate ostensa pro uniuerso genere humano passus est, & omnibus ex æquo spem resurrectionis gratuito largitus est.

Antonius magnus Abbas Epistola 2. ad Arsenoitas.

Omnis sanctorum chorus collectus in unum petijt bonitatem de salutari uostro, ut calcaret in terris pro nostra cunctorum salute, ipso utpote extãte nostro magno & fideli pontifice ac medico, qui solus sanare posset hanc enormem plagam. Et rursum, In quo & creaturarum genitor uisceribus motus, pro plaga nostra, quæ sanari non poterat, nisi per solam ipsius bonitatem, misit unigenitum nobis, ut per seruitutem nostram seruitutis assumeret formam, traderetq; se pro peccatis nostris, Et peccata quidẽ nostra humiliauerunt eum, sed liuore eius nos omnes sanati sumus. Item Episto. 4. prauidentes

Q

autem

autem h̄i qui Spiritu ferebantur, quod creatura nulla possit curare illam grandissimam plagam, nisi sola beatitudo Dei, qui est unigenitus eius, quemq; & destinavit salutem totius orbis, qui est & medicus magnus potens curare ingentem plagam sua bonitate, pater creaturarum non pepercit unigenito propter nos, cum pro nostra uniuersorū salute tradens pro peccatis nostris & ipse quidem seipsum humiliavit, sed illius liuore nos omnes sancti sumus, uerboq; uirtutis suae congregauit nos ex omnibus regionibus &c. Et recte de operibus loquitur Epistola 7. Cuncti qui timent Dominum & custodiunt mandata eius serui sunt Dei, sed non est in ipsa seruitute perfectio, nisi quod tantum iusta tenet, deducens filiorum adoptionem.

Faustinus Episcopus ad Flaccil lam Imperatricem cap:3.

Totus Adam peccauerat, totus Adam expulsus de paradysio fuerat, totum expulsam suscipere debuit, quā totum saluare uenerat.

Marius Victorinus de genera tiōe diuina aduersus Candidū

Dicunt scripturae Iesum Christum esse saluatoreū omnium fidelium, Dei unigenitum, Et libro 1. Contra Arrium de Trinitate, credere in Dominum & filium eius, uitam est eternam habere.

Croma

Cromatius Episcopus de octo Beatitudinibus.

Sicut qui Caliginem noctis emensus est, iam gessit proximam lucem, & qui choleram amaram digessit, escam concupiscit & potum, sic & mens homini Christiani postquam per luctus & lachrimas sua peccata digesserit, iam solam Dei iusticiam esurit & sitit, & merito eius, quam desiderat facietate gaudebit, Idem in caput quintum in Mattheum In tantum charitas exundavit, ut non solum serui sed & filij Dei per optionem uocemur, cuius nominis gratiam per fidem credentibus Christo donatam in Euangelio, Ioannes ostendit dicit, Quotquot crediderunt in eum dedit eis potestatem filios Dei fieri &c. Et ibidem sic loquitur de operibus, DEVS pater unus est nobis, qui regenerat spiritu suo, quos facit ad aeternam hereditatem filios. Et ideo quasi filij DEI ambulare debemus, ne aliter agentes, quam filios DEI conuenit, rei sub usurpatione tanti nominis teneamur, Item ibidem, Lucernam in manibus portare iubemur, ut illuminati gratia SPIRITVS sancti operibus iusticiae ac fidei luceamus: Sciamus nos idcirco gratia Dei accensos, & luce spiritus illuminatos, ut & ipsi per opera fidei atq; iusticiae ueluti lucerna spiritu aliter luceremus &c.

Marcus Eremita in capitulis
de lege spirituali.

Omne bonum à Deo gratuito nobis datum, Ad hunc ergo modum credens illud ne utiquam amissurus est, Cæterum firma & constans fides, turris fortissima, Christus autem credenti fit omnia, Et rursus, Ne quæras legis perfectionem in humanis uiribus & uirtutibus, perfectus enim nullus in ijs inuenitur. Siquidem perfectio legis in cruce Christi abscondita est, Idem, Dominus totius legis debitores nos esse indicare uolens, & filiorum adoptionem proprio sanguine nobis gratuito datam inquit, Cum feceritis quæ præcepta sunt uobis dicite, Serui inuiles sumus, & quod debuimus facere, fecimus, propterea regnum cælorum non est merces operum, sed gratia Domini fidelibus seruis præparata, Qui pro peccatis nostris mortuus est, secundum scripturas, etiam fideliter & probe ipsi inservientibus, libertatem largitur gratuito, Ait enim Euge bone serue & fidelis, super multate constituam, intra in gaudium Domini tui. Et rursus, Quoniam cum non essemus, nos fecit & condidit, & peccato mortuos, proprio sanguine suo nos est mercatus, Et ijs qui ita credunt, gratiam suam gratuito largitus est, Et de operibus recte dixit, Quando audieris scripturam dicentem quod redditurus est unicuique secundum opera sua, non dicit opera gehenna aut regno digna, uerum unicuique suæ incredulicatis, aut fidei opera redditurus est, Quicumque generationis lauacro dignati sumus, bona opera non propter retributionem facimus sed propter custodiam. concesse nobis puritatis & mundiciæ,

mundicia, Et rursus, Quoties aliquid uirtutis feceris, fac memor sic eius, qui dixit, Sine me nihil potestis facere, Lex libertatis ueritatis quidem cognitione legitur, operatione mandatorum intelligitur, completur autem per miserationes Domini Iesu Christi.

Epiphanius in Ancorato.

Ex fide iusticia citra opera Legis, Et rursus, factus est mihi iusticia, sanctificatio & redemptio, iusticia quidem quoniam per fidem ipsius peccata dissoluit, sanctificatio uero, quia per aquam & spiritum & uerbum suum me liberauit, Redemptio autem est sanguis illius, dum pretium redemptionis agni ueri pro me seipsum tradidit, propitiationem purgationis mundi, reconciliationem omnium &c.

Ephrem libro 1. de compunctione cordis.

Sana me Domine & saluabor, quia solus tu es sapiens & misericors, medicus, Et rursus, Te enim solum desidero insatiabilem Dominum.

Cyrillus in 6. caput Ioannis.

Hinc discimus unum solummodo Christum sequendum esse magistrum, illi soli inherendum, qui ad uitam aeternam deducere potest. Sic enim in primogenitorum Ecclesiam, ingressi, ultimam beatitudinem perfruemur, Quod autem solus Christus sequendus sit, quodque hinc solummodo salus habeatur, non erit abs re, prisca etiam id

Scriptura confirmare Et rursus, Caro Christi, quoniam
 in ipsa filius Dei unigenitus habitat, sola uiuificare po-
 test, Et in caput 14. Ioannis, uia que ad ciuitatem Dei
 ducit solummodo Christus est, Item idem libro 9. cap: 30.
 super Ioannem, per fidem namq; non aliter, saluamur se-
 cundum illud psalmistæ Dominus illuminatio & salus
 mea, quem timebo.

Et de operibus ibidem cap. 43. sic ait, opera uero fi-
 dei congruentia facere eorum solummodo est qui Deum
 diligunt.

Paschasius Romanus Diaconus
libro 1. de Spiritu. S. cap: 1.

Credere illi quilibet potest hominum, Credere uero
 in illum soli debere te maiestati noueris, Et cap: 2. Et
 cum in solam credi oporteat trinitatem etiam memora-
 torum Patrum toto celebrata orbe doctrina confirmet,
 Et capite 11. Largitio sanctificationis, munificentia soli
 us est maiestatis.

Philippus presbyter in Iob,
cap. 9. Libro 1.

Non iusticia mea me facit apud istum syncerum &
 purum, nisi ipse faciat innocentem. Nam de iusticia mea
 que ad illum tantilla uel nulla est, non audeo responde-
 re, sed magis ut exorabilis & propitijs sit, meum iu-
 dicem deprecabor.

Grego.

Gregorius papa Romanus li.
bro 9. *Moralium* cap: 14.

Quin si habuero quippiam iustum, non respondebo, inquit Iob, sed meum iudicem deprecabor, sepe diximus, omnis humana iusticia, iniusticia esse conuincitur, si stricte iudicetur, prece ergo post iusticiam indiget, & quæ succumbere discussa poterat ex sola iudicis pietate conualescat.

Idem Gregorius libro 24: cap: 7. Et reddet homini iustitiam, iustitia nostra dicitur, non quod ex nostro, nostra est, sed quæ diuina largitate fit nostra, sicut & dicimus in oratione dominica, panem nostrum quotidianum da nobis hodie, Ecce & nostrum dicimus, & ut dicitur oramus, Noster quippe fit cum accipitur, qui tamen Dei est, quia ab illo datur.

Thalassius Hecatontade secunda de sincera charitate.

Christus totius mundi saluator est, & penitentiam ijs, qui eam acturi sunt, in salutem concessit, Et in Hecatontade. 1. Dominus noster & Deus est Iesus Christus, quem si mens sequatur, non manet in tenebris,

Ioannes Maxentius in confessione suæ fidei.

Quapropter nullum ab Adam nunc usq; per natura

turæ uigorem credimus esse saluationem, nisi dono gratiæ Spiritus sancti in fide nominis Iesu, quia non est aliud nomē datum hominibus sub cælo, in quo oporteat saluos fieri, nisi in nomine Iesu Christi. Liberum autem arbitrium ad nihil aliud ualere credimus, nisi ad discernenda tantum & desideranda carnalia, siue secularia, quæ non apud Deum, sed apud homines possunt fortassis uideri gloriosa, Ad ea uerò, quæ ad uitam æternam pertinent, nec cogitare, nec uelle, nec desiderare, nec perficere posse, nisi per infusionem & inoperationem intrinsicus Spiritus: qui etiam est Spiritus Christi, Spiritum enim Christi, qui non habet, non est eius.

EX MEDIA ÆTATE.

DOCTORVM ET PATRVM TESTIMONIA, QVIBVS INSTRUIMUR nos solius Dei Christiq; gratia, ope & misericordia saluari, siue gratis & non ex nostris meritis remissionem peccatorum & uitam habere, nullamq; coram Deo nostram iusticiam esse.

Cassidorus in Psal. 142.

Nos quos

Nos quotidianis lapsibus addimus, ut nunquam per nos, nisi per diuinam gratiam liberi esse possimus.

Albinus præceptor Caroli magni,
in expositione 7. Psal: pœniten-
tialium, in Psal: 4.

Præuidens Propheta in Spiritu non nisi in sanguine Christi peccata redimi posse, laudat iusticiam eius, qua diabolū damnauit, & misericordiam, qua mundū redemit, Et mox quis potest me ex immundo conceptum semine mundum facere, nisi tu solus Deus, qui sine peccato es? Idem in Psal: 7. In tua enim dicimus iusticia exaudi me, Ad me enim unū cum respicio, nihil aliud in me, nisi si peccatū inuenio, Tota liberatio mea, tua est iusticia: Et mox nullus, nisi gratia liberatus tua iustificare poterit. Et rursum propter nomen tuum Domine uiuificabis me in æquitate tua, Sic clementissima Dei gratia commendatur, cuius miseratione in nomine Saluatoris, non nostris meritis uiuificati sumus, &c.

Idiota uir sanctus de contemplatione amoris cap. 1.

O amantissime Domine Iesu Christe, unde omnis deus fuit amor. Et cap. 2. O misericordissime Iesu, qui omnia diligis, si ista in corde meo continua meditatione cogitarem, super omnia te diligere deberem, uidelicet per
D 5 fidem,

74 DE IUSTIFICATIONE

dem, quæ sic tibi placet, quod per ipsam omnes sanas & saluas, quia dicis fides tua te saluum fecit, et sine illa nemo tibi placere potest, Et ca. 5. Absorbeat quæso amantissime Domine mētem meam ab omnibus, quæ sub cælo sunt, ignita et melliflua uis tui amoris, ut totus tibi inhaeream, solaq; suauitatis tuæ dulcedine pascar, delecter et inebriar. Et cap. 8. Dilexisti Domine nos gratis morti damnatos et uita indignos, Et cap. 10. Te enim per uerā fidem agnosco, & te teneo uita meæ, non solum gratuitum largitorem, largissimum administratorem pium cōsolatorem, sollicitum gubernatorem, sed insuper copiosissimum redemptorem, æternum conseruatorem, ditatorem & glorificatorem, Vrget namq; ratio & iusticia naturalis, ut totum per amorem tradam tibi, à quo me totum habeo.

Richardus Pampolitanus Eremita in libro qui inscribitur Encomium nominis Iesu.

Respirat animus Iesum quærens, quem diligit, cuius amore capitur, quem Solum concupiscit, Et mox, Sine quo salutem habere non potestis, Sine quo non speret quis salutem, Idem in commentarijs super psalmos in psal: 70. Iustus ex fide uiuit, Memorabor iusticæ tuæ Solius, quia tu Solus es qui iustificas. Item in psal. 129. Qui solus potes liberare & non aliud.

Albertus

Albertus magnus in libro de solo
Deo adorando & de supre-
ma perfectione hominis.

Christianus se totum intra se recipiat, nec aliud unquam obiectum inibi mente attendat, quam Solum Iesum Christum uulneratum.

Thomas Aquinas in Catena ar-
gentea quam Continuum uo-
cat decerptum ex patribus in
4 Euangelistas, in cap: 3. Io:

Quia non credit in nomine unigeniti filij Dei (scilicet manens in tenebris) In hoc enim solo nomine est salus, Et in Matthei caput 8. Nihil in conspectu Dei magnum uel admirabile uel preciosum, tantum fides, hanc miratur honorificans, hanc acceptabilem sibi aestimat. Item in Ioannis 11. caput. Vita animæ fides est, Et recte de operibus scripsit, in 20. Ioannis etc. Beati qui non uiderunt & credunt, In qua sententia nos specialiter signati sumus, qui eum quem carne non uidimus, mente retinemus si tamen fidem nostram operibus sequimur, Ille enim uere credit qui exercet operando quod credit.

Drogo Hostiensis Episcopus
in libro De Sacramento
Dominicæ passionis.

Memento

Memento mei, cuius mei? mei inquam tam indignam peccatoris, iniquitatem meam ego cognosco & peccatum meum contra me est, confundor oculos meos, ad te leuare, tibi soli peccaui, tu solus potes à peccato meo me mundare. Et rursum, A summo cælo egressus es, de utero uirginis speciosus forma processisti, & mecum pendes in ligno, quis huc te adduxit? Sola misericordia, secundum hanc misericordiam magnam tuam miserere mei, Deus.

Petrus Alliacus Episcopus &
Cardinalis in meditatione
super psalmos 7. pœnitentiales in 2. psal:

Nec immerito in tua diuina misericordia sperantem, & non in sua humana iustitia confidentem, circumdabit, id est, circumquaque uallabit Dei misericordia, Item in psalmo 4. Et hoc peto non propter aliquam iusticiam, quæ sit in me, sed propter magnam misericordiam, quæ est in te & multam miserationem, quæ est à te, Et mox, ut misericorditer ignoscas, non iusticiam meam merito allego, sed maliciam meam peccatum agnosco, Et mox, Ad te solum tanquam ad iustum Iudicem confugio, Item in psal. 6. Non ergo de mea iusticia præsumam, sed de tua misericordia, Et in 7. psal: Exaudi me pœnitentem, non in mea, sed in tua iusticia, scilicet in misericordia tua, quæ pœnitentes iustificat, Et rursum, iusticiam meam

am meam coram me esse non reputo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens, Idem in meditatione super 30. psalmum, uæ uæ & iterum uæ Domine mihi, quia non in mea, sed in iusticia tua potes me liberare, quia meam non inuenis nisi superbam & falsam, & illi similem, de qua dicitur, ignorantes Dei iusticiam & suam uolentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti, Si ergo attendis ad iusticiam meam, damnas me, ideo in iusticia mea non liberas me, Nam iusticia hominis est, quæ putat suis uiribus se iustificari, non credens gratis saluari, Absit à me hæc iusticia obsecro, heu uerè us iniusticia seuisissima contra te ferent arma, sit sit in me potius illa humilis confessio, gratia Dei sum, quod sum, Quare gratia, quia gratis data, quare gratis data, quia merita mea non præcesserunt, sed beneficia tua preuenerunt, Nec inuenit in me gratia tua merita beatorum quæ coronet, sed demerita malorum quæ dānet, In hac ergo iusticia tua, in hac gratia mihi gratis data, libera me, quia hæc sola liberat, dum iustificat impium à sua impietate, & iniustum à sua iniquitate conuertit.

Ioannes Gerson in meditationibus super septem psalmos pœnitentiales.

O me beatum, si à te mihi remissæ sunt iniquitates meæ, ita ut mihi dones indulgentiam ex gratia tua, cui debes uindictam ex culpa mea, ut mihi dones indebitam gratiam,

apud Deum misericordia sed maxima, De me meaq;
propria uirtute diffidens, de te tuaq; gratia & pietate
sperando confidam et ad tuam clementissimam propi-
tiationem confugiam, Et rursum, Iusticiam meam co-
ram te nullam esse reputo etc.

Thomas de Kempis in libro de i-
mitatione Christi, (qui tamen ante
Annos 50. tributus est. Gersoni etiã
à typographis Parisinis) lib: 2. ca: 7.

Teneas te apud Iesum uiuens & illius fidelitate com-
mittes qui omnibus deficientibus solus potest te iuuare.
Item cap: 9. super quid sperare possum aut in quo con-
fidere debeo nisi in Solã magna misericordia Dei & in
Sola Spe gratiæ cælestis, Et libro 3. cap: 40. Quære
ueram pacem non in terris, sed in cælis, non in homini-
bus, nec in cæteris creaturis, sed in solo Deo & cap: 45.
Est uera gloria exultatio sancta, gloriari in te & non
in se, gaudere in nomine tuo non in uirtute propria, nec
in aliqua creatura delectari, nisi propter te, Laudetur
nomen tuum, non meum, magnificetur opus tuum non
meum, sanctificetur & benedicatur nomen sanctum tu-
um nihil autem mihi attribuatur de laudibus homini-
um, Tu gloria mea, tu exultatio cordis mei, In te glori-
abor et exultabo tota die, pro me autem nihil nisi in in-
firmitatibus meis. Quærant Iudæi gloriã quæ ad inuicẽ
est, ego hanc quero gloriã quæ à solo Deo est, Et capi-
te 53.

te 53. Memorabor Domine tui solius, quoniam ad plenum letabor in te, Et cap: 54.

Neq; enim hoc cogitatu tuo aut conatu accipis, sed sola dignitate supernae gratiae & diuini respectus, quatenus in uirtutibus & maiori humilitate proficias & ad futura certamina te praepares Et cap: 59. Gratia in solo Deo querit consolari, & in summo bono super omnia uisibilia delectari, Et cap: 60. O quam maxime est mihi necessaria Domine gratia tua ad inchoandum bonum, ad proficiendum & ad perficiendum, Nam sine ea nihil possum facere, Omnia autem possum in te confortante gratia me. O uere caelestis gratia, sine qua nulla sunt propria merita &c. Et mox. Sufficit mihi gratia tua ceteris non obtentis quae desiderat natura, Quid sum sine ea nisi aridum lignum & stips inutilis ad eijcendum? Tua ergo me Domine gratia semper praecedat & sequatur, ac bonis operibus iugiter praestet esse intentum per Iesum, Christum filium tuum Amen. Et cap: 64. In nullo possum bene confidere, qui necessitatibus auxilietur oportunis nisi in te solo Deo meo. Tu es spes mea & fiducia mea, tu consolator meus & fidelissimus in omnibus, In te Domine Deus pono totam spem meam & refugium, totum infirmum & instabile inuenio quicquid extra te conspicio. Et libro 4. cap: Dolendum tamen ualde & miserandum super tepiditate & negligetia nostra quod non maiori affectu trahimur ad Christum summendum, in quo tota spes saluadorum consistit & meritum. Itē ca: 2. Gratiarum tibi ago propter nimiam charitatem propter

80 DE IUSTIFICATIONE.

temetipsum enim hoc facis, non propter mea merita, ut bonitas tua mihi magis innotescat, & charitas amplius ingeratur. Item cap: 12. Hæc sub nomine Christi uerba ponit, scio tamen te non posse satisfacere huic preparationi ex merito tue actionis, etiam si integrum annum præparares, & nihil aliud in mente haberes, sed ex sola pietate & gratia mea permittaris ad mensam meam accedere, ac si mendicus ad prandium uocatur diuitis, & ille nihil aliud habeat ad retribuendum beneficijs eius, nisi humiliando & regratiando, & cap: 13. Quis mihi det, ut inueniam te solum, et ca: 16. Ecce sto ante te pauper, & nudus gratiam postulans, & misericordiam implorans, Refice esurientem mendicum tuum, accende frigiditatem meam igne amoris tui, illumina cæcitatem meam claritate presentie tue, Tu solus mihi ex hoc iam dulcescas usq; in seculum, quia tu solus cibus & potus meus, amor meus & gaudium meum, dulcedo mea et totum bonum meum.

Gulielmus Durandus Minatensis
Episcopus, in rationali diuinorum,
lib. 4. titulo de Aquæ Bene-
ctæ aspersione.

Aspergitur populus, quia ipse solus est, qui tollit peccata mundi. Idem libro 6. de feria 5. post palmarum, Christus sola misericordia crimina tollit, Ideo penitentes hoc die Ecclesie reconciliantur.

EX

HOMINIS
EX NOSTRO SE-
CVLO.

80

DOCTORVM ET SCRIP-
TORVM PONTIFICIORVM TESTI-
monia, quibus docemur, nos solius Dei miseria
cordia & gratia salua-
ri, &c.

Fredericus Nausea, Episcopus Vui-
ennensis, in tertia Homiliarum su-
per Euangelia Centuria in ser-
mone de circumcissione
Domini.

*Christus Iesus est Saluator, id est, ille, qui salutem
adsert, unde & Dominus Christus hodie hoc nomine
cepit appellari, quod illi ab aeterno fuit inditum, quia
solus ipse sit, qui saluat, in cuius solo nomine salutem ob-
tinere possumus.*

Marcus Marulus in Euangelista-
rio, libro 1. de fide.

*Fidei Christianae ueritas uerè liberos reddidit cre-
dentes, non potentiae fastus terrena, sola quippe ex cor-
ruptibilibus incorruptos, & ex mortalibus immorta-
les facit.*

E Anto-

Antonius Flaminius in Psalmi
72. Explicatione.

Nemo fieri potest ex iniusto iustus, nisi per Christum. Et in Psal: 130. explicatione quaedam ex Augustino adfert, & sic scribit, Affirmat eos qui sanctissimi iudicantur, graues duros penas, si Deus in quenq; animaduertere uelit pro eo, ac cuiusq; peccata promerentur, itaq; D. Augustinus hunc locum explanans, ita scribit, Non dixit, ego nō sustinebo, sed quis sustinebit? Vidit enim prope totam uitam humanam circumlatrari peccatis suis, accusari omnes conscientias cogitationibus suis, non inueniri cor castum præsument de sua iusticia, Si ergo cor castum nō potest inueniri, quod præsumat de sua iusticia, præsumat omnium cor de misericordia Domini, et dicat Deo, si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit, quia autem spes est, quoniam apud te propitiatio est, quæ est ista propitiatio, nisi sacrificiū, et quod est sacrificium, nisi quod pro nobis oblatū? sanguis innocens fusus deleuit omnia peccata nocētium: pretiū tantum datum redemit omnes captiuos de manu captiuitatis inimici. Ergo est apud te propitiatio, si iudex solū esse uelles, et misericors esse nolles, et obseruares omnes iniquitates nostras, & quæreres ea, quis sustineret? quis ante te staret, & diceret innocēs sum? quis staret in iudicio tuo? Spes ergo una est, quoniam apud te propitiatio est, Hæc Augustinus. Idem Flaminius in psal. 143. addit
cit Aua

Cit Augustini et Bernhardi uerba, quibus explicat hunc
 Psalmi uersum, Et nō intres in iudicium cum seruo tuo,
 quia nō iustificabitur in cōspectu tuo omnis uiuens. Hūc
 uersiculū explicat August: in sermo: 49. de tempore, &
 scribit, Non intres in iudicium cum seruo tuo: quid est,
 Non intres in iudicium cum seruo tuo? non stes mecū in
 iudicio exigendo à me omnia, quæ præcepisti et omnia,
 quæ iussisti: nam me inuenies reum, si intraueris mecū in
 iudiciū, opus est ergo misericordia tua potius, quā liqui-
 disimo iudicio tuo. Sed uerbis Augusti: libet adiungere
 sententiam Bernhardi uiri sanctissimi, is in 1. sermo: quæ-
 scibit in diē omnium sanctorum loquitur ad hunc modū,
 sed quid potest esse omnis nostra iusticia coram Deo?
 nonne iuxta Prophetam uelut pannis menstruatæ repu-
 tabitur? & si districte iudicetur, iniusta inuenietur om-
 nis iusticia nostra & minus habens: Quid ergo de pec-
 catis erit, quando ne ipsa per se quidē iusticia responde-
 re poterit? Propterea obnixè cum Propheta clamantes,
 Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, tota hu-
 militate ad misericordiam recurramus, quæ sola potest
 saluare animas nostras, &c.

Claudius Guilliandus, Theologus
 Parisinus in cōmentarijs super Epi-
 sto: Pauli in cap: 3. ad Rom.

Gratis iustificati sumus, id est, non ex meritis & operi-
 bus nostris, licet et gratia Dei & iusticia Dei sint causa

E a nostre

nostræ iustificationis, Et rursus in 2. cap: ad Ephesios,
 cuius gratia estis saluati, non uestro labore uel opere ul-
 lo, per Christum redempti estis, sed sola Dei gratia,
 Nam quantum ad uestra opera attinet, eratis certe ira
 & supplicio digni: Et rursus, fides qua iustificabamur,
 est donum Dei, quod illam gratuito, non autem nostro
 merito habemus.

Ioannes Hoyffmeisterus Augustia-
 nus, Prior & Ecclesiastes Colma-
 rienses, in commentarijs in E-
 pistol: ad Philippens: in
 cap: 3.

Hanc cognitionem (scilicet Christi Domini) soli
 Christiani habent, qui ipsam per Spiritum sanctum ac-
 ceperunt, Huic cognitioni nihil sub sole conferri potest,
 ut in qua sola, salus nostra consistit, Et rursus, Necessè
 est, ut qui uelit Christum habere propitium, ut de semet
 ipso plane desperet, de nulla re quantumcunq; in speci-
 em bona præsumat, omnem autem spem & fidu-
 ciam suam in unicum Christum conferat,
 ut qui unus & solus est, per quem
 habemus accessum ad
 Deum.

SE-

SEQUUNTUR NUNC

ALIQVOT SVCCINCTAE EXPLICA

*tiones sententiarum sub obscurarum in Patrum**uetustiorum scriptis, de fide &**operibus.*

Hieronymus.

Cum Hieronymus in 3. cap: ad Roma: sic scribat, Arbitramur fide iustificari hominem sine operibus legis. Dicit autem Apostolus de eo homine, qui ad Christum ueniens, sola cum primum credit, fide saluatur, etc. Concedunt aliqui ex Pontificijs in initio solam sufficere fidem, sed mox opera tanquam cooperatricia urgent ex uerbis Hieronymi, et alia adferunt ad istius rei confirmationem ex eiusdem libris, imprimis lib: 8. commentariorum in Esaiam & aliunde, ubi coniungere uidetur opera fidei, sed hoc satis sit, quod dicat Hieronymus, in lamentationem Hieremiae uirtutes & opera bona fructus fidei esse, etc.

Augustinus.

Augustini testimonia de sola fide iustificante in primo tractatu perspicue extant, attamen alia eius testimonia (quae pro iustificatione operum insulse adferunt Pontificij) extant in libro de fide & operibus, et in libro de uita Christiana, quae cum prioribus uidentur pugnare. Ex prioris lib: de fide & operibus ca: 14. haec adferuntur

Quare iam illud uideamus, quod excutiendum est à cordibus religiosis, ne mala securitate salutē suam perdāt, si ad eam obtinendam sufficere solam fidē putauerint, Bene autem uiuere & bonis operibus uiam Dei tenere neglexerint, &c. Contra illos ibi Augustinus disputat, qui dicunt, non referre, quomodo uiuatur, modo fidē habeamus, tales nō esse nostros Doctores, nemo bonorum probabit, deinde illos ibi reprehendit, qui ita fidē suscipiūt, ut opera bona negligāt uel potius contēnant, dicentes, non requiri bona opera à Christianis, sed audiatur in ipse Augustinus ex eodē capite, uerba eius hæc sunt: Cum dicit Apostolus iustificari hominem per fidem sine operibus legis, non hoc agit, ut percepta ac professa fide, opera iusticiæ contemnantur, sed ut sciat se quisq; per fidem posse iustificari, etiamsi legis opera non præcesserint, Sequuntur enim iustificatum, non præcedunt iustificandum, Et cap. 16. Fides itaq; Christi, fides Christianæ, id est, ea fides, quæ per dilectionem operatur posita in fundamento, neminem perire præmittit.

Prolixe quedam citat Augustinus in lib. de uita Christiana cap. 13. quæ ostendunt non solam requiri fidem, sed & opera. Sed Augustinum ibi loqui de historica fide & non uiua, hæc uerba iudicant ibidem, Quid tibi ipsius baptismi lauacrum prodest, si sola sine iusticia fides queritur, &c. Nos semper opera tanquam fructus fidei non minus quam fidem requiremus, sed iustificandium eis adimimus, dicentes, nos fide tantum scilicet ea, quæ

que apprehendit unicum saluatorem Christum iustifi-
ri, non operibus, interim requiri opera, sed à iustificati-
one excludi. Ibidem rursum hæc habet uerba Augusti-
nus, Responsum est à Domino cuidam: Si uis ad uitam in-
gredi, serua mandata, Non dixit serua tantum fidem,
Nam si sola fides queritur, superflue uidentur mandata
seruari &c. Nos simpliciter respondemus, sola fides ad
iustificandum requiritur, interim ad operandum & lo-
co testimonij requiruntur & opera bona, Quanquam
non apte illud Christi ab Augustino citetur, Dum ad
phariseum dicat, serua mandata, cui hoc erat impossi-
bile, & hoc pacto uelit ipsum ad se pertrahere, quia
lex paedagogus in Christum est, ut sic scilicet illustratus,
iustificatus & illuminatus per ipsum, inciperet bene
operari, in lege, non cogente lege sed gratia ducente:
&c. uerum Augustinus ibi rursum loquitur de impijs,
nudam requirentibus fidem & excludentibus uel con-
temnentibus omnia opera bona, quod hæc subsequenter
testantur uerba, Dicant hoc illi qui peccando iam filij
perditionis effecti sunt, & in hoc tantum solatium se ha-
bere credunt, si alios secum potuerint morti perpetue
mancipare, Nam si Deus peccatores non punit, ubi est
illud propheticum, Si iustus uix saluus erit, peccator &
impius ubi apparebunt, Et alibi peccatores peribunt,
Et iterum, deficient peccatores à terra & iniqui, ita ut
non sint. &c.

Et in eodem cap: 13. hæc habet uerba, Itaq; si

E 4 flos

Sola fides prodest, cur illi cum Angelis Satanae in perpetuum gehennae ignis mancipantur, qui non perfidiae causa, sed quia boni nihil fecerunt, iudicantur, sicut scriptum est, Et dicit eis Rex, qui ad sinistram sunt, Discedite à me maligni in gehennam aeternam, quam paravit pater meus diabolo & angelis eius. Esuriui & non dedistis mihi manducare &c. Non dixit utiq; non credidistis mihi, Vnde intelligi datur, non eos incredulitatis causa, sed propter bonorum operum sterilitatem esse damnandos, Hec ibi Augustinus, Et quanquam ibidem se Augustinus satis declaret, Dominum de ingratis ibi & sterilibus, qui in uacuum gratiam Dei susceperunt, qui Dæmonicam fidem habent, loqui tamen hoc non destruit, quod sola fides iustificet nos, quia & nos dicimus opera prodesse in fide facta proximo, & placere Deo grataq; esse, interim soli fidei attribuimus uim iustificandi, Nam ita urgere fidem, ut opera excludamus aut ita opera postulare, ut fides extinguatur, pharisaeum & impium & à mente Augustini alienum est, Quoniam idem patet, locum Pauli ad philippenses, Quae mihi fuerunt lucra, propter Christum damna existimaui, Quin etiam arbitror damnum tractans contra duas Epistolas pelagianorum lib: 3. cap. 7. ait, illum non solum stercora & damna dixisse, quae in iudaismo fecerat, sed alia quoq; omnia quae ante commemorauit, In principio enim capitis dixerat. Nos enim sumus circumcisio, quae Deo in spiritu seruiamus, & non in carne cõfidimus, quare
inquit

inquit opera q; baptizatus Paulus et Apostolus faciebat, arbitrabatur ut dāna & stercora, q; intelligas oportet. Quo ab ipso proficiscebatur, & ut conferebatur eximijs & purgatissimis actionibus ad quas nitebatur, dū semper ad meliora tenderet, Quare his uerbis Apostolus iustificationem ab operibus & rebus externis aufert & ad solidam, quæ cōstat ex imputatione iusticiæ Christi, cuius participes nos facit sola fides, reuocat, Idem in Eucharidiao, Gratia uero nisi gratis sit, gratia non est, Intellegendum est igitur etiam ipsa hominis bona opera aut merita esse Dei munera, quibus cum uita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur? Idem in libro 83. questionum, questione 2. Quis potest recte uiuere & bene operari, nisi iustificatus in fide, præcipitur ut credamus, ut accepto dono Sancti spiritus per dilectionem bene operari possimus &c.

Si igitur nemo bene operatur nisi iustificatus fide, Ergo sola fide prius homo iustificatur, antequam bene agat: Et quis hoc negauit unquam? Tunc tandem bene agere incipit.

Chrysostronus.

Quanquam Chrysostronus perspicuè loquatur de sola fide iustificante, ut testimonia priora indicant, tamen aliter alibi uidetur loqui: Sic uidetur in Roma: cap: 15. homilia 29. scribere, quod non sola fide opus sit, sed & conuersatione spiritali, ut semel datum spi-

ritum sanctum retineamus &c. haec uerba dextre intel-
lecta, non officiunt cause nostrae, quia non sola opus ha-
bemus fide sed & conuersione spiritali, respectu di-
uerso, quia quo ad iustificationem, sola fide opus habe-
mus, quo ad uitam Christianam exhibendam & decla-
randam factis tanquam fructum iustificationis, non so-
la fides, illaq; nuda, sed efficax per dilectionem &
conuersionem spiritali requiritur, eaq; uiua.

Sic quoq; & homilia 1. in caput 1. ad Epheseos, Ad
quid ait, elegit nos Deus? ut essemus sancti, & irrepre-
hensibiles coram ipso. Itaq; ne putes quoniam elegit, so-
lam fidem sufficere &c. Et recte, si bene intelligatur,
concedimus fidem non posse solum operari in se, nisi per
charitatem in sanctitate operetur, fides se coram Deo
aperit, sed per opera procedit coram hominibus, ut il-
la uideant opera, quae sunt effectus & fructus fidei, Ide-
oq; non sufficit sola fides, id est, inanis est & uerbalis,
quod non se exerit per charitatem, quia illa non est ui-
ua sed mortua, Et ideo recte ait homilia 7. in Romanos
in Morali, Enimvero quandoquidem post gratiam
hanc per quam iusti sumus, & uitae quoq; instituto opus
est, studium tanto dono dignum exhibeamus &c. fide
etenim non tanq; opere iustificamur, nam tum esset ope-
ris nostri iusticia, sed gratia, Itaq; recte se explicat
Chrysostomus, fides autem ideo sola iustificat, quia sola
apprehendit gratiam Dei & iusticiam Christi, Inte-
rim uox

rim uox sola non excludit opera ipsa, sed meritū & dignitatē operū, quibus nō debet, nec potest distribui uis iustificandi, quæ soli Christo tribuitur, Ideo Chrysostomus ait super 3. caput ad Roma: Hic uirtutem Dei ostendit, quod non solum saluauit, sed & iustificauit, & in glorificationem induxerit nullis ad hoc usus operibus, sed fidem tantum exigens &c. Notetur à pio lectore, quod ait, ad hoc nullis usus operibus, quasi dicat opera, sequuntur & sunt necessaria, sed non ad iustificationem, tantum ad conuersionem spiritualem, Idem in caput 3. ad Gala. Siquidem illi qui non seruarant legem, dicebant, Qui sola fide nititur, execrabilis est, hic contra demonstrat, Qui sola fide nititur, cum benedictum esse.

Quare dextre intellectus Chrysostomus non male de lege uel operibus, nec male de fide loquitur.

Primasius.

Gangnæus Theologus Parisinus, ut luculenta de sola fide iustificante, Primasij testimonia euertat, adfert alia, quæ in speciem contraria uidentur ex eodem. Super illud ad Galatas, Qui crucifixerunt carnem suam cum concupiscentijs (ait) illos esse Christi, dixit qui ita se crucifixerunt, contra illos, qui solam fidem sufficere putant, Et super cap. Ephesorum 5. de illo dicto, omnis fornicator &c, Contra illos agit, quæ
solam

solam fidem absq; operibus ad salutem dicunt sufficere, quod de illis solis bene dicitur, qui post baptismum rapiuntur, & tempus non habēt bene operandi. Hęc Primasij uerba contra uos torquentur, sed nemo nostrum docet ita solam fidem sufficere, ut nemo bene operari debeat, sed ad iustificationem solam fidem sufficere contendimus, interim illam fidem efficacem esse, per dilectionem. Nec est alia autoris sententia, Deinde in postrema sententia declarat se Primasius, requiri in initio solam fidem, deinde bonam operationem subsequi necesse esse putat: Declarat deinceps se Primasius super illud Gala: 3. Maledictus omnis qui pendet in ligno, Queritur utrum sola fides sufficiat Christiano & non sit maledictus, qui Euangelica praecepta non seruarit? Fides sufficit, ut primo credentem & iustum efficiat, se deinceps in iustificatione permaneat, ceterum sine operibus mortua est, Hęc est clara Primasij sententia, quam libenter suscipimus, Et idem super Epistolam ad Hebraeos cap: 4. Si ad salutem non sufficit, sola fides, necessarium est enim bene operari per dilectionem fidei & conuersari Deo digne, quia fides sine operibus mortua est. &c. Hęc est clara explicatio.

Leo Papa Romanus.

Leo papa & recte de fide loquitur & de operibus, quanquam & eius sententias torqueant sophistae, sed ex his sequentibus locis sunt reliqui, qui in contrarium adducuntur intelligendi. In sermone 10. de Natiuitate Dñi

Agnoscis

Agnoscamus misericordiam Dei ab initio promissam et ante secula preparatam, per quam solam resoluti captiuitatis humane uincula potuerunt. Et sic de Christianorum operibus ibidem loquitur, Sermone 6. Si autem ad humanum pertinet laudem, ut patrum decus in prole resplendeat, quanto magis gloriosum est ex Deo natos in autoris sui imaginem refulgere? et illum in se, qui illos generauit, ostendere, dicente Domino, sic luceat lux uestra, ut uideant opera uestra bona, et glorificent patrem uestrum, qui in caelis est. Hæc Leo Papa doctus.

Beda.


Beda in commentarijs in Epistolas Pauli ex Augustino collectis, loquitur rectè de operibus. Eius uerba excerpta in 4. Cap. ad Roma: hæc sunt, Iacobus contra eos, qui nolebant bene operari, et de sola fide præsumentes, ipsius Abrahe opera commendauit, filium suum is Deo obtulit, magnum opus, sed ex fide, laudo superædificationem operis, sed uideo fidei fundamentum, fides sine operibus mortua est, et tanquam radix sine fructu sterilis. Nulla opera debemus proponere fidei, ut ante fidem quis dicatur bene operari. Ante fidem opera inania sunt, licet hominibus laudabilia uideantur, ubi fides non erat, bonum opus non fuit: Sequuntur opera iustificatum, non præcedunt iustificandum, per solum Dominum Iesum, datur uita æterna sine operum bonorum meritis iustificatur impius, quia credenti in eum, qui iustificat impium de-

pium deputatur, fides ad iusticiam, ut deinde ipsa fides
 per dilectionem incipiat operari. Ea sunt sola bona ope-
 ra dicenda, quæ sunt per dilectionem Dei: Hæc autem
 necesse est, ut antecedit fides, &c. Hæc ille, ex
 cuius uerbis omnium patrum senten-
 tiæ sunt intelligendæ
 dextrè.

VRSELLIS,
 EXCVDEBAT NICO-
 LAVS HENRICVS.

ANNO 1562.

Fragment of text from the adjacent page, including the number 78 and some illegible characters.



DE INSTITUTIONE

Faint, illegible text in a Gothic script, likely a title page or preface. The text is very faded and difficult to read.

DE INSTITUTIONE

Faint, illegible text in a Gothic script, likely a title page or preface. The text is very faded and difficult to read.



155.003

AB 155.003

La
e
a.
102
est
lin.
tur
ento

ULB Halle 3
004 851 218






Vogel


Friede

Pl...

Am...

Call...





Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

